MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80846-14

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

BOEHM, JOSEPH ALBERT

TITLE:

SYMBOLAE
AD HERCULIS...

PLACE:

REGIMONTI

DATE:

1909

Master Negative #

92-80846-14

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/SAVE  Books       FUL/BIB   NYCG92-B39773          Acquisitions     NYCG-PT
FIN ID NYCG92-B39773 - Record 1 of 1 - SAVE record
+
  ID:NYCG92-B39773            RTYP:a    ST:s    FRN:    MS:   EL:u    AD:07-20-92
  CC:9665  BLT:am      DCF:    CSC:d   MOD:    SNR:      ATC:       UD:07-20-92
  CP:gw      L:lat     INT:    GPC:    BIO:    FIC:0     CON:
  PC:s      PD:1909/           REP:    CPI:0   FSI:0     ILC:       II:0
  MMD:      OR:    POL:     DM:     RR:        COL:      EML:      GEN:   BSE:
  040     NNC‡cNNC
  100 1   Boehm, Joseph Albert,‡d1884-
  245 10  Symbolae ad Herculis historiam fabularem ex vasculis pictis petitae‡h[
        microform] /‡cscripsit Josephus Boehm.
  260     Regimonti,‡c1909.
  300     100 p.‡c22 cm.
  502     Inaugural-Dissertation--K_onigsberg i. Pr., 1909.
  650  0  Heracles (Greek mythology) in art.
  650  0  Vase-painting, Greek.
  LDG     RLIN
  QD      07-20-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 10/4/93 INITIALS BAP

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

Inches

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

rcules (deity)
no. 5
885
221

SYMBOLAE AD HERCULIS HISTORIAM FABULAREM EX VASCULIS PICTIS PETITAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE REGIMONTANO

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

JOSEPHUS BOEHM, 1884
FRAUENBURGENSIS.

REGIMONTI
EX OFFICINA HARTUNGIANA.
MCMIX.

Gedruckt mit Genehmigung
der philosophischen Fakultät der Albertus-Universität
zu Königsberg i. Pr.

Referent: Professor Dr. O. Rossbach.

OTTONI ROSSBACH
S.

Praefatio.

Ab antiquissimis temporibus inter carmina poetarum Graecorum et artificum opera coniunctio quaedam artissima intercessit,[1]) cuius haec erat causa, quod eadem utriusque artis argumenta erant, fabulae de heroibus atque deis fictae. Iterum atque iterum poetae primum epicis carminibus, tum lyricis etiam ac dramaticis celebrabant, quae post hominum memoriam Graecorum gens de Olympi incolis et praeclaris heroum factis narrabat. Quae fabulae poetarum arte atque ingenio magis magisque exornabantur atque amplificabantur, et hoc modo nova quasi forma et vi poetica instructae denuo audientium animos captabant redibantque plus minusve transformatae in populum, unde fluxerant. Sed artifices quoque eodem ex fonte haurientes pingendi fingendique arte oculis etiam proponere studebant ea, quae ars poetica carminibus praedicabat. Horum vero artem, praesertim cum aliquanto post poeticam ita exculta sit, ut res mythicas colore exprimeret, ad illas fabularum formas accessisse consentaneum ac dudum argumentis confirmatum est (Robert, l. l.), quae per poetas in certaminibus praecipue musicis decantatae inter omnes constabant. (cf. Reisch in Pauly-Wissowa Real-

[1]) cf. quae exposuit C. Robert, Bild und Lied (Philolog. Untersuchg. V). Berol. 1881. H. Luckenbach, Das Verhältnis der griechischen Vasenbilder zu den Gedichten des ep. Cyclos (Jahrb. f. cl. Philol. Suppl. XI. 1880).

Encycl. s. v. Agones p. 839.) Atque tunc etiam, cum aeque, ac poesis, pingendi fingendique ars florebat, tamen illa imprimis fabulas transformare solebat, cum haec maioribus poetarum adiumentis carens plerumque vias iam tritas ingrederetur et rebus novis neque vulgo notis abstineret, quas multo facilius poetae verborum multitudine ac varietate explanare poterant.

Certe, si vetusta vascula Graeca spectamus, non desunt, qui multa in iis a figulis pictoribusque inventa esse contendant; et re vera concedendum est non anxie circa singula pictores haesisse, cum arbitrio suo minora modo adderent, modo demerent; neque enim ad verbum poetarum carmina illustrare solebant, ut his fit temporibus. In rebus autem gravissimis fideliter eorum vestigia premebant et, si non verba, formam saltem fabulae reddebant poesi divulgatam. Quod optime perspicitur ex vetustiorum pictorum operibus, qui primum fabulam aliquam illustraverunt: nam posteriores praeter poetas certam etiam normam sequebantur ex prima illa repraesentatione sumptam.

Neque vero pictores operum poeticorum imperitos fuisse, quippe quae inter certamina musica diebus festis instituta saepe audirent, vascula ipsa testantur. Exstat enim, ut exempla afferam, in scypho quodam Berolinensi,[2]) ubi cum alia, tum iuvenem in sella sedentem attenteque volumen quoddam legentem videmus, in altero volumine supra scrinium ante eum iacente inscriptio *Χιρόνεια*. Certe illa praecepta Hesiodo attributa intelleguntur, quorum nunc etiam nonnulla fragmenta habemus *Χείρωνος ὑποθῆκαι* vel *παραινέσεις ἐπὶ διδασκαλίᾳ τῇ Ἀχιλλέως* inscripta.[3])

[2]) Furtwaengler, Beschreibung der Vasensammlung im Antiquarium n. 2322; depict. Micali, Storia tab. 103, 1; Panofka, Bilder antik. Lebens tab. I, 2; Daremberg-Saglio, Dictionnaire fig. 2600; Birt, Die Buchrolle in der Kunst (Leipz. 1907) fig. 84.

In altero vasculo, illa notissima Duridis patera musei Berolinensis,[4]) quae ut adulescentes a praeceptoribus liberis artibus instruantur ostendit, magister in sella sedens volumen evolvit, in quo scripta videmus haec:

Μοισα μοι
αφι Σκαμανδρον
ευρων αρχομαι
αειδειν.

Versus hexametro fere similis ab opifice balbutienti hic redditus est, qui in rectam versus heroici formam redactus fortasse sic legitur: *Μοῖσά μοι ἀμφὶ Σκάμανδρον εὕροον ἄρχομ' ἀείδειν.*[5]) Ubi quamquam vocativus *Μοῖσα* coniunctus cum *μοι* pronomine imperativum postulat, et prima indicativi persona *ἄρχομαι* minime constructioni grammaticae accommodata est, tamen de sensu verborum constat: res ab Achille ad Scamandrum flumen fortiter gestas celebratas fuisse apparet, sive carminis epici, sive hymni cuiusdam, sive dithyrambi initium pictor magistri volumini inscribere in animo habebat.[6])

[3]) Rzach, Hesiodi carm. (1902) fgm. 170—173.

[4]) Furtwaengler, l. l. n. 2285; dep. Mon. d. Inst. IX, 54; Arch. Zeitg. 1873, tab. 1; Wiener Vorlegebl. VI, tab. 6; Birt, l. l. fig. 76; Baumeister, Denkmäler, fig. 1652.

[5]) Hiller-Crusius, Anth. lyr. (1897) p. 302; quo de versu fusius disseruit Michaelis, Arch. Zeitg. 1873, p. 3/5.

[6]) *ἄρχομ' ἀείδειν* invenitur in primo quoque versu exeunte hym. Hom. 5. 11. 13. 16. 22. 26. 28; *Μοῦσά μοι ἔννεπε ἔργα* hym. Hom. 4, 1. Quod autem a *Μοῖσά μοι ἀμφί* versus incipit, poetarum dithyrambicorum admonemur, qui toties in exordio *ἀμφί μοι* vel *ἀμφί μοι ἄνακτα* adhibebant, ut a comicis propterea illuderentur. cf. Michaelis, Arch. Zeitg. 1873, p. 3/5.

Denique cylicis coloris rubri fragmenta nuper Naucratide reperta silentio non praetermittam:[7]) senex in sella sedens volumen tenet, in quo litteris *βουστροφηδόν* exaratis scriptum est

Στεσιχορ
ον ὕμνον
αἶοισαι.

De Stesichori hymno quodam pictorem cogitasse in aprico est, quamvis inscriptionis sensus dubius videatur.

Constat igitur opificibus scientiam quandam carminum ipsorum abiudicare haudquaquam licere. Quam ob rem eo magis operae pretium erit, artis monumenta perscrutari, num quid emolumenti historia fabularum atque litterarum ex iis capiat. Quod ut conemur praecipue Herculis labores alliciunt, quippe qui persaepe in vasculis satis antiquis picti, in litteris autem accurate non nisi a scriptoribus recentioris aetatis, Diodoro, Apollodoro aliisque memoriae traditi sint. Itaque mihi proposui hac commentatione selectos Herculis labores pertractare et vasculorum auxilio usus, interdum autem alia quoque artis monumenta adhibens nec poetarum fragmentis mythographorumque doctrina neglectis explanare, quomodo fabulae paulatim excultae atque transformatae sint, quaeque ex eis de veteribus carminibus concludi possint.

Temporis vero longo tractu vix fieri potuit, ut non iam ante me viri docti idem negotium subirent et multum in eo proficerent; in quibus praeter alios primo loco Eduardus Gerhardus (Auserlesene Vasenbilder) et Adolfus Furtwaengler (cf. Roscher,

[7]) Publicata in the annual of the British school at Athens V, 1898/99; novis fragminibus additis in Journal of Hellenic studies 25 (1905), tab. 6; Birt, l. l. fig. 80.

Lexikon der griech. u. roem. Myth. s. v. Herakles) nominandi sunt. Tamen quae est materiae amplitudo, haud pauca supersunt adhuc nondum satis accurate explicata. Itaque bona spe in quaestionem intremus et primum hospitium, quod Herculi cum Pholo intercessit, et pugnam contra Centauros tractemus.

Pars I.

De Herculis apud Pholum hospitio eiusque contra Centauros pugna.

Mythographi, qui vulgares fabularum formas tradunt, Diodorus, Apollodorus, alii, una cum apri Erymanthii venatione hospitium herois apud Pholum Centaurum referre solent et pugnam, qua ille heros Pholoes montis incolas exciderit. Quae tres fabulae non semper ita coniunctae erant; si diligentius anquirimus, antiquissima pars proelium contra Centauros cognoscitur, vel ne hoc quidem, sed potius pugna herois cuiusdam in ferox illud monstrorum genus. Nam ut bene Furtwaengler, Arch. Zeitg. 1883, p. 156 exposuit, perantiqua artis monumenta servata habemus, quae Centauros singulos et heroem eis adversantem subinde iterant. Praecipue testae ex argilla rubra factae ectypisque ornatae in Rhodo insula[8]) aliisque locis Asiae minoris[9]) erutae sunt, quae vasculis Mycenaeis aetate vix cedentes imaginum ordines exhibent ex Centauro atque homine quodam vel daemone (Furtwaengler l. l.) identidem iteratis compositos. Centaurus semper pinu

[8]) Depict. Salzmann, Necropole de Camiros tab. 25—27; Milchhoefer, Anfänge der Kunst, p. 75; RML. (Roscher, Myth. Lex.) II, 1045/46.

[9]) Duae testae in ora maritima Cariae repertae Athen. Mitt. XXI, p. 229, tab. VI depictae sunt.

revulsa adversarius bipenni, vel bipenni atque pugione (Athen. Mitt. XXI, tab. VI) armatus fingitur.[10]) Nequaquam autem verisimile est opifices, qui ectypa illa expresserunt, iam Herculis Centaurorumque pugnam novisse atque ostendere voluisse; cui rei maxime obstat, quod adversarius semper bipenni Herculi nunquam attributa exornatur. Immo, imagines optime intellegi mihi videntur, si antiquitus apud Graecos Centaurorum greges feroces omnibus hominum operibus infestos itaque depugnandos putatos esse arbitramur; quae pugnae ab heroe vel daemone quodam factae cogitabantur. Inde imagines in testis illis expressae fluxerunt, quae inter artis typos habitae sine causa atque ratione velut ornamenta geometrica adhibebantur.

Paulatim autem heros monstris montanis adversans Herculis formam, id est sagittarii, induit neque iam iteratur, sed semel ponitur.[11]) Et re vera quid facilius accidere potuit, quam ut heros fortissimus monstris illis opponeretur? Saeculo septimo, fortasse prius, de pugna eius cum Centauris facta constitit,

[10]) Falso E. H. Meyer, Gandharven-Kentauren p. 59 de ectypo RML II, 1045/46 depicto indicat daemonem dextra fulgur trifidum tenere itaque Iovem ipsum interpretandum esse. Quod fulgur Meyer intellexit, nihil aliud est, nisi pinus radices, quam Centaurus gestat atque heros capessit; quae res lucidius ex ectypo Athen. Mitt. XXI, p. 229 allato apparet, ubi heros eodem modo altera manu bipennem tollit, altera pinum Centauri prehendit.

[11]) Unum quidem vasculum mihi occurrit, depict. Masner, Samlg. antik. Vas. u. Terrakott. im k. k. Österreich. Mus. n. 207, ubi tamen Hercules identidem sicut merum ornamentum usurpatur: post septem enim Centauros se excipientes heros nudus, sagittans — pharetra supra ex clavo pendet — sequitur. Tum septem equitibus interiectis iterum Hercules bis deinceps fingitur cum equitibus non conexus. Haerebat aperte pictor nimis in formis traditis.

quia usque ad id temporis artis vetustissima monumenta recedunt, velut vascula Italica ectypis rubrae argillae ornata,[12]) aut lecythus protocorinthia musei Berolinensis in Furtwaengleri catalogo n. 336 signata,[13]) aut ectypum notissimum aeneum Olympiae repertum,[14]) aliaque.[15]) In quibus omnibus heros Centauros fugientes sagittis persequitur.

Quod proelium mox amplificatum est; nam qui pugnae causam scrutabantur, narrationem illam de Pholo dolioque eius sive recens inventam, sive a maioribus traditam ei subiunxerunt. Iam saeculo septimo hanc certaminis causam putatam esse scyphus generis vetustioris Corinthii testis est (depict. Journ. of Hell. stud. I, 1), qui et contubernium in Pholi spelunca, et proelium, quod secutum est, ostendit probatque certamen fortuito propter Centaurorum nimiam vini cupiditatem exarsisse.

Cum apri denique venatu haud scio an locorum vicinitate ductus poeta dodecathli, qui dicitur, fabulam contexuerit, quod carmen certe non post saeculum sextum conditum duodecim maiora herois facinora *(ἔργα)*, atque ea ab Eurysthei iussa, multis minoribus *(πάρεργα)* immixtis in unum comprehendit.[16]) Quod quidem Wilamowitzius Herakles[2] I, p.62, eumque secutus Gruppius, Griech.Myth. p.466,

[12]) Arch. Zeitg. 1881, p. 42; 1883, p. 156.

[13]) depict. Arch. Zeitg. 1883, tab. X.

[14]) Furtwaengler, Bronz. v. Olymp, p. 100 sq. tab. 10.

[15]) cf. RML. I, 2193/94; in ectypo ibi allato et Micali. Stor. 20, 8 depicto Hercules cognosci nequit; ad aliam pugnam spectare videtur.

[16]) De dodecathli loco atque tempore nondum satis constat. Primum indicatur metopis templi Iovi Olympiaco saeculi quinti priore parte aedificati, quae, quin exemplar poeticum spectent, dubitari non potest, postquam Zoëga, Bassiril. II, 50 quanta ars atque pulchritudo in ea ipsa compositione in-

iudicat, pugnam Centauream olim inter maiores atque ab Eurystheo mandatos labores relatam esse et Augeae demum metopae Olympiacae auctoritate in minorum locum remotam, iam Friedlaender, l. l. p. 128 sententiam eam neque probabilem neque argumentis confirmatam reiecit.

Persaepe autem, ut omnino artifices Graeci Centaurorum pugnas, sic pictores Herculis in Pholoe monte facinus colore expresserunt modo proelium solum pingentes, modo convivium apud Pholum, rarius utrumque argumentum coniunctim. Ne multis locis laudatis nimis impedita oratio fiat, indicem earum picturarum, quae hospitium apud Pholum adumbrant, infra subieci,[17]) cuius numeris inferius utar.

esset exposuit. Quod carmen epicum Wilamowitzius, Herakles² I, 57. 66. saec. VIII. Argi factum esse suspicatur; cautius Friedlaender, Herakles (Philolog. Untersuchg. XIX, Berol. 1907) cap. 1 in Rhodo insula non post saeculum VI.

[17]) Vascula olim collegit Stephani, Compte-rendu de la commission impériale archéologique pour l'année 1873, p. 94—96; nuper Hoefer, RML III, 2416 sqq. Formis vasculorum additis rursus indicem paulo pleniorem atque correctum composui:

1. Scyphus Corinthius, qui est Parisiis in coll. Rayet, depict. Journ. of Hell. stud. I, tab. 1.

Figuris atris ornata:

2. Amphora mus. Brit. B 226 (catal. cur. Walters); De Witte, Description d'une coll. de vas. peints provenant des fouilles de l'Etrurie n. 77.
3. Amphora Tarquiniis repert. descr. Arch. Anz. 25 (1867), 5 n. 16; Bull. d. Inst. 1866, p. 234.
4. Amphora coll. Basseggio dep. Gerhard. A. V. 119, 7; RML. III, 2419.
5. Amphora Monac. 622; dep. Micali, Stor. 99, 9.
6. Amphora „ 435.
7. Amphora „ 691; (bis ab Hoefero, l. l. sub n. 29 et 31 allata.)

Facile princeps inter cetera sui generis monumenta scyphus p. 11 iam memoratus n. 1 ad nos pervenit, cuius picturam Sidney Colvin l. l. iuris publici fecit. Huic enim imagini haud dubie saeculo sep-

8. Amphora musei civici Bononiensis; dep. Gerhard, A. V. 119, 3; descr. Heydemann, 3. Hall. Winkelmannprogr. p. 59, n. 1594.
9. Amphora Florentina in mus. egizio ed etrusco; descr. Heydemann, l. l. p. 95, n. 47.
10. Amphora descr. Bull. d Inst. 1869, p. 126, 3.
11. Amphora Corneti reperta et nunc Turici servata: Benndorf, Die Antik. v. Zürich n. 411.
12. Amphora Tolfae repert. in museo Louvre F 266. dep. Pottier, vas. ant. du Louvre II, tab. 81; cf. Arch. Anz. 25, 5, n. 18; Bull. d. Inst. 1866, p. 229.
13. Amphora mus. Greg. II, 41; descr. Helbig, Führer durch d. Samlg. kl. Altert. in Rom² II, n. 1202.
14. Lecythus, mus. du Louvre F 470; dep. Pottier, l. l. tab. 87.
15. Lecythus Gelae reperta et nunc Panormi servata; descr. Arch. Zeitg. 28, p. 13, n. 11.
16. Lecythus ex Sicilia, nunc exstat Panormi; descr. Arch. Zeitg. 28, p. 13, n. 12.
17. Lecythus Gelae reperta, nunc asservatur Turici; Benndorf, l. l. n. 342; Arch. Anz. 25, p. 114.
18. Lecythus Corinth. repert. in mus. Brit. B 536.
19. Lecythus Atheniensis 973 (cat. edd. Collignon-Couve 1902); cf. Heydemann, Gr. Vasb. V, 5, not. 10b.
20. Lecythus Atheniensis n. 972; Heyd. l. l. V, 5.
21. Lecythus „ 863.
22. Lecythus „ 974.
23. Lecythus „ (?); Heyd. l. l. V, nota 10c.
24. Lecythus Athenis eruta, nunc Hauniae n. 78; Soph. Birket Smith, De mal. vas. i Antikkab. i Kjoebenhaven.
25. Oenochoe Neapol. 2713.
26. Oenochoe Parisina coll. Oppermann; dep. Arch. Zeitg. 23, tab. 201, 1.
27. Oenochoe Vulc. repert. coll. Durand 271; dep. Gerh. A. V. 119, 5; Baumeister, Denkm. p. 659; RML. III, 2421/22.

timo pictae[18]) vetustissimam fabulae notitiam debemus eo pluris nobis aestimandam, quod multa ab Apollodoro postea rursus allata iam oculis proponit. Ut ea, quae sequuntur, recte intellegantur, accurata descriptione opus est: In spelunca Centaurus formae vetustioris conspicitur, id est specie humana, quacum equi corpus posterius satis laxe coniungitur. Centauri pars humana chitone vestita est, aliter, atque ceteri qui adsunt Centauri; qua re sine dubio pictor illius humanitatem atque clementiam, horum immanitatem dementiamque notare volebat. Cantha-

28. Oenochoe Vulc. repert. olim coll. Durand 272, tum coll. Panckoucke 407; (quam duas putavit Hoefer, l. l. p. 2419).
29. Cyathus mus. Brit. B 464.
30. Vas Clusii repert; descr. Bull. d. Inst. 1850, 163: „di forma insolita".
31. Vase. Cornet. cf. Roem. Mitt. VII, p. 336.
32. Vas Parisinum, dep. Millin, Gal. myth. tab. 117.
33. Vas Parisinum, cf. Froehner, Cat. d'une coll. n. 52.
34. Vas Cornetanum in museo Bruschi; descr. Bull. d. Inst. 1869, p. 172.

Colore rubro picta:

35. Amphora Bononiensis, dep. Mon. d. Inst. XI, 15; cf. Annal. d. Inst. 1880, p. 45.
36. Vas Clusinum; dep. Inghirami, mus. Chius. I, 80.
37. Stamnus ex Magna Graecia, Monac. 746; dep. Stackelberg, Gräb. d. Hell. tab. 41.
38. Celebe Petropolitana II, 1272; dep. Compte-rendu pour 1873, tab. V, 1; cf. ibid. p. 91 sqq., pro operculo, ut solet, heros infantem fascia vinctum una cum serpente de dolio demit. Quam picturam iocosam non antiquis, sed his temporibus operculo, quod re vera subest, inductam esse cognovit Furtwaengler, Roem. Mitt. VII, 333, not. 1.
39. Cylix, De Witte, Descr. n. 77.

[18]) Colvin l. l: we might put it back as far as the eighth century B. C; it can hardly be supposed later then the seventh.

rum sinistra tenens atque alteram manum tollens prope dolium stat reseratum. Dubium non est, quin Pholum videamus. Ante eum sinistrorsum Hercules plane nudus, ut saepius in picturis antiquioribus, sine pelle et clava, fasces ex foco prope eum ficto arreptos contra Centauros invadentes vibrat, cum arma eius, pharetra, arcus, gladius, in pariete specus suspensa sint. Undecim Centaurorum, quibus aeque ac Pholo pedes priores humani sunt, unus iam cecidit, ceteri effusa fuga ramos in heroem conicientes se recipiunt. A sinistra, quo fugiunt monstra montana, Herculis patroni adsunt, Mercurius scipione insignis et ambas manus in hostes protendens, Minerva armis non induta.

Propter magnam picturae antiquitatem verisimillimum est carminis epici cuiusdam vestigia inesse, quod fortasse iam Stesichorus (cr. 640—555; cf. infra p. 19) exemplum habuit. Et optime accidit, quod haud dubie demonstrari potest hunc pictorem non modo in universum fabulae formam poesis auctoritate vulgatam secutum esse, ut praefatione explanavimus, sed verba fere singula poetae cuiusdam illustrasse. Mire enim omnia, quae oculis proponuntur, cum illis consentiunt, quae septem octove saeculis post Apollodorus bibl. II, 5, 4 ex poetarum scriptorumque operibus tradita eadem de re narrat. Quae cum ita sint, satis magnam illius carminis epici partem perlucide cognoscere possumus.

Ac primum pictura patefacit iam illis temporibus poetam in spelunca Pholum habitantem fecisse, ut consueverant Centauri, atque Chiron etiam Pholi multis rebus simillimus.[19]) Posteriores et scriptores,[20])

[19]) cf. Pind. Pyth. IX, 30; Orph. Argon. 377; Theocr. VII, 149 sqq.

[20]) Theocr. VII, 149 sqq.; Apd. l. l; Polyaen. Strat. I, 3, 1.

et pictores[21]) identidem speluncam adumbrant. Tum qua humanitate atque hospitio Pholus inter suos praestiterit verisimiliter narratum erat, eumque hominum more vestimentis usum esse neque cum ceteris nudum incessisse. Qua re iterum Chironem adaequat, cuius iustitia atque prudentia iam ab Homero Il. IV, 219; XI, 832 praedicatur, et quem saepe vestitum videmus, velut in picturis Journ. of Hell. stud. I, 2; RML. I, 891 depictis aliisque. Attamen cum Hercule comparatus barbarus erat Pholus, quippe quem Apollodorus carnem crudam edisse tradat,[22]) Herculem autem tostam *(οὗτος* (sc. *Φόλος*) *Ἡρακλεῖ μὲν ὀπτὰ παρεῖχε τὰ κρέα, αὐτὸς δὲ ὠμοῖς ἐχρῆτο)*. Neque vero aliter poeta ille epicus cantaverat; nam foco, quem in scypho pictum spectamus, Pholo sui ipsius causa minime opus erat. Atque idem focus una cum Apollodori narratione patefacit in carmine epico cenam potationi anteisse, quae copiose fortasse, ut mos erat epicorum, describebatur: iam Centaurus cum hospite suo accubuerat et heros arma deposita in specus pariete, velut pictura docet, suspenderat. Quod deinde mythographus affert, cum Hercules vinum poposcisset, Pholum ne commune Centaurorum dolium aperiret timuisse *(αἰτοῦντος δὲ οἶνον Ἡρακλέους ἔφη δεδοικέναι τὸν κοινὸν τῶν Κενταύρων ἀνοῖξαι πίθον)*, valde dolendum est, quod opifex sic rem gestam esse pictura non expressit; quamvis igitur num ea quoque res tum nota fuerit pro certo dici non possit, tamen vix probabile videtur Apollodorum, qui tanta cum fide hac in fabula versetur, subito inter mediam narrationem ab optima memoria discedentem ex altero fonte hausisse, praesertim cum infra priore rursus

[21]) cf. vascula n. 6. 8. 23. 26. 32.

[22]) cf. Theogn. 541: *ὕβρις . . . Κενταύρους ὠμοφάγους ὄλεσεν.*

utatur, ut statim elucebit. Tum vero toto fabulae conexu efficitur, id, quod mythographus refert, dolio reserato vini odore arcessitos Centauros advolasse *(μετ' οὐ πολὺ τῆς ὀσμῆς αἰσθόμενοι παρῆσαν οἱ Κένταυροι)*, antiquitus fabulae proprium fuisse. Quod ut fieri posset, vinum eximia bonitate fuisse necesse est, neque neglexerit poeta, ut Homerus (Od. IX, 193 sqq.) Maronis vini, sic huius singularem odorem atque antiquitatem praedicare. Deinde, si mythographus solus ex omnibus servavit fascibus heroem primos Centauros reppulisse *(τοὺς μὲν πρώτους τολμήσαντας εἴσω παρελθεῖν, Ἄγχιον καὶ Ἄγριον, Ἡρακλῆς ἐτρέψατο βαλλὼν δαλοῖς)*, eam ipsam propulsandi rationem imago adumbrans clarissime in exemplari suo fuisse testatur atque eiusdem originis, cuius Apollodori narrationem. Quid autem ea re melius ad fabellam quadraverit? Neque enim cum subito invasissent Centauri vini cupidi, alia arma heroi prompta erant, — suspensa ea vidimus — et ita, quae proxime iacebant, foci lignis pro telis utebatur. Audacissimis demum hostibus reiectis arcus pharetraeque capiendae tempus dabatur, quibus ceteris perniciem paravit (Apd.: *τοὺς δὲ λοιποὺς ἐτόξευσε διώκων*); quod si non hac pictura, tamen aliis perantiquis (cf. supra p. 11) memoriae vetustissimae attribuitur. Heroem autem tutela patronorum divinorum non caruisse, quamquam pictor adumbrare nequaquam neglexit, tamen necesse non est concludere exemplar, quod sequebatur, eorum auxilium praedicasse aut pugnae fortasse participes eos fecisse, quoniam in omnibus fere laboribus praesentes cogitantur et libero arbitrio ab artificibus aut adduntur aut omittuntur.[23])

Hucusque scyphi auxilio veterem illam fabulae

[23]) cf. RML. s. v. Herakles.

compositionem restituere possumus. Egregio igitur ex fonte Apollodorum, cum eam rem tractaret, hausisse apertum est, qui aliquo modo memoriam perantiquam integram servaverat. Itaque multum habet probabilitatis alia quoque a mythographo conscripta indidem profecta esse; neque vero, cum firmis argumentis careamus, pro certo id contendere licet. Ne hoc quidem, quod Hercules ex poculo ingentis magnitudinis potavisse dicitur, ut posteriores identidem cantant (cf. p. 19 sq.), cum vasculi descripti pictor nihil significaverit, num in exemplari eius exstiterit, diiudicare possumus; ignotum fuisse fere videtur, quia Apollodorus quoque, quamvis diligenter rebus singulis hic operam navet, silentio id praetermittit.

Sed iam ad vascula Attica scypho descripto aetate cedentia animum vertamus. In quibus ipsis quoque multa cum illa fabulae forma plane concinere, quam saeculo septimo valuisse modo cognovimus, vix quisquam negabit. Nam poetae, qui inde a saeculo septimo exeunte idem argumentum tractabant atque pictoribus aequalibus exemplo erant, licet saepe suas vias ingressi res traditas transformaverint, certe non minus saepe ad vetustiorem compositionem accedebant. Quae cum ita sint, fieri non potest, ut ex vasculis ubique diiudicetur, quid ad antiquius, quid ad recentius, quid ad utrumque exemplar spectet. Itaque satis habeo statuere, quid illa aetate arte poetica celebratum de hac fabula inter omnes constiterit.

Ac primum statim intellegitur cenam potationi antecedentem plane in oblivionem venisse simulque id, quod initio pugnae sui defendendi causa foci ligna heros adhibuisse dicebatur. Etenim, ut mittam, quod in nullo iam vasculo focum pictum habemus, heros semper, etiamsi proelium modo iniens Pholo vel dolio

praesente indicatur, velut in n. 12. 13 zophoro Assio,[24]) aut sagittis, aut gladio, aut clava, nusquam lignis hostes reicit.[25])

Eo magis autem placebat symposium hospitum celebrare, cuius fragmenta poetica, quibus aetas pepercit, ipsa sunt testes. Quorum vetustissimum Athenaeo ex Stesichori carmine excerptum debemus. Poeta Himeraeus hospitium atque pugnam in Geryoneide memorans tum fortasse factam esse cantaverat, cum heros ex Erythea reverteretur,[26]) quoniam exstat apud Athenaeum XI, 499 E: *τὸ ἐν Γηρυονηΐδι Στησιχόρου „ἔμμετρον ὡς τριλάγυνον“ τὴν τῶν τριῶν γενῶν ἀμφιβολίαν ἔχει·* verborum autem complexus *ἔμμετρον ὡς τριλάγυνον* nihil aliud est, nisi quod paulo supra (XI, 499 A) scriptor de Pholi poculo adhibet verbis: *Στησίχορος δὲ τὸ παρὰ Φόλῳ τῷ Κενταύρῳ ποτήριον σκύφιον δέπας καλεῖ ἐν ἴσῳ τῷ σκυφοειδές· λέγει δ' ἐπὶ τοῦ Ἡρακλέους:*

Σκύφιον δὲ λαβὼν δέπας ἔμμετρον ὡς τριλάγυνον
πί' ἐπισχόμενος, τὸ ῥά οἱ παρέθηκε Φόλος κεράσας.[27])

Quo ex fragmento in Stesichori carmine convivium non exiguam fabulae partem fuisse colligitur, imprimis-

[24]) Depict. Clarke, Investigations at Assos tab. 15; Daremberg-Saglio, Dictionnaire s. v. Hercule p. 90: Collignon, Histoire de la sculpture Grecque I, p. 183.

[25]) cf. Stephani indicem Compte rendu pour 1873, p. 94 sqq. non modo hanc, sed omnes Herculis cum Centauris pugnas comprehendentem; vasc. Monac. 151 (Jahn) nunc primum depict. est in Münchener Arch.-Studien dem Andenken Adolf Furtwaenglers gewidmet (1909) p. 313.

[26]) Num re vera ex Geryonis insula rediens heros in Pholoen pervenerit, non constat. C. O. Mueller, Dorier II, p. 475 suspicatus est Solis poculo (cf. infra) adductum poetam illud in Pholoe convivium memorasse et velut excursum narrationi inseruisse.

[27]) Bergk PLG[4] fgm. 7; Hiller-Crusius, Anthol. lyr.[4] p. 209, 5.

que poculum herois propter ingentem magnitudinem, quippe quod tres caperet lagoenas, celebratum fuisse ex eorum sententia, qui Herculis luxuriam invenerant. Quin etiam valde probabile est Stesichorum ipsum poculi capacitatem excogitasse, quam antiquissima memoria ignorare videbatur (cf. p. 18), et quae inde in omne tempus valebat.[28])

Non multo post Stesichorum Pisander Camirensis (cr. 645 teste Suida, cr. 600 secundum Wilamowitz. Herakl.[2] I, p. 66) in Heraclea, quam libris duobus composuit, idem argumentum tractavisse videtur: quod satis quidem non constat; tamen licet suspicari fragmentum atque testimonium ab Hesychio prolatum: *Νοῦς οὐ παρὰ Κενταύροισι· παροιμιῶδες· ἔστι δὲ Πεισάνδρου κομμάτιον, ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων ταττόμενον,*[29]) ad pugnam illam Centaurorumque insaniam, qui vini cupiditate adducti herois iram movissent, spectare.

Denique Panyassidis (cr. 500) versus:

Τοῦ κεράσας κρητῆρα μέγαν χρυσοῖο φαεινόν,
σκύφους αἰνύμενος θαμέας ποτὸν ἡδὺν ἔπινεν,[30])

quin ad convivium in Pholi spectent spelunca vix dubitari potest propterea, quod ex tertio fluxerunt libro,[31]) in quo priores labores infuisse consentaneum

[28]) cf. praeter Panyassidis fgm. infra exscriptum Phaedimi versum: *δουράτεον σκύφος εὐρὺ μελιζώρειο ποτοῖο* (Kinkel, Ep. Gr. Fgm. p. 214), quem huc pertinere suspicor; Luc. Conv. 13: *εὐμεγέθη σκύφον*: Iuvenal. sat. XII, 44 sq: cratera capacem | et dignum sitiente Pholo; Stat. Theb. II, 563 sq: erexit inanem | magnanimus cratera Pholus; Val. Flacc. I, 337 sq: cum signiferum cratera minantem | non leviore Pholum manus haec compescuit auro.

[29]) Kinkel, l. l. p. 252, 9.

[30]) Kinkel, l. l. p. 255, 4.

[31]) Athen. XI, 498 D: *Πανύασις τρίτῳ Ἡρακλείας φησί, τοῦ — ἔπινεν.* Qua ex re apparet fabulam non iam cum Geryoneide conexam fuisse, quam in alio libro exstitisse idem Athenaeus XI, p. 469 D narrat.

est,[32]) — omnino composuerat libros XIV Suida testante —, tum ob magnam cum Stesichori fragmento similitudinem. Atque duodecimum etiam fragmentum, qui versus hospitem quendam oratione directa ad potandum invitant, haud scio an cum hac fabula coniungendum Pholoque attribuendum sit.[33])

Iam quod pauca poetarum fragmenta tenuiter indicant, pictores copiose illustrant. Ut exempla afferam, in amphora 9. heros cantharum dextra tenens et redimiculo comam cinctus in pulvino accubat, cum Pholus ad hospitem accedat oenochoen apportans et paratus ad infundendum; arma supra suspensa sunt. In alia amphora, n. 7, et Centaurus, et heros sub tecto frondeo concubant, hic, ut antea, cantharum tenens; eodemque modo concubantes eos videmus in oenochoe n. 26, heroem, ut scyphum vini plenum prae se teneat, Pholum, ut urceum exsiccatum demittat.[34]) Sermonem vegetum atque familiarem hospites inter se habere ex herois vultu attento Centaurique manus gestu lucide intellegitur. Atque optime convenit, quod Epicharmi comoediae *Ἡρακλῆς ὁ παρὰ Φόλῳ* inscriptae frag-

[32]) Ad C. O. Muelleri sententiam, qui Dorier II, p. 472 omnes fere labores libris prioribus comprehensos fuisse affirmavit, accedere non possum. Quidnam erat in ceteris? Pleraque etiam fragmenta, cuius fuerint libri, omnino ignoramus.

[33]) Kinkel, l. l. p. 257, 12: *Ξεῖν' ἄγε δὴ καὶ πῖν' ἀρετή νύ τίς ἐστι καὶ αὔτη* sq. Aliter quidem res se habet in fgm. 13. 14, quae et ipsa C. O. Mueller, l. l. II, p. 473 huic potationi adiunxit. Neque abhorreant versus de vini bona vi, si modice bibatur, eiusque mala, si immoderate, a sapientis Centauri moribus, qui triste suorum inter Pirithoi nuptias exitium non ignoret. Neque vero minus apte alia occasione carmini inseri poterant. Quam ob rem Muelleri sententiam comprobare dubito.

[34]) Falso Hoefer, RML. III, 2422: „Herakles und Pholus gelagert; letzterer hält dem Herakles den geleerten Krug zu neuer Füllung hin.“

mentum habemus, ex quo heroem inter convivium labores peractos rettulisse cum veri specie conicimus. Versus sunt hi:

ἀλλὰ μὲν ἐγὼν ἀνάγκᾳ ταῦτα πάντα ποιέω,
οἴομαι δ' οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς οὐδ' ἅταν ἔχων,[35])

qua in re poetam carminum epicorum auctoritatem secutum esse aliquid probabilitatis habet.

Semper in picturis descriptis heros pulvinis nititur. Eo magis est mirum, quod Lucianus multis saeculis interiectis de imaginibus disserit — in tabulis vel in parietibus pictis, quoniam vascula picta vix noverat scriptor Samosatensis —, ubi Hercules apud Pholum humi cubans atque pulvinis carens conspiciatur.[36]) Quam rem vascula vetera ignorant. Etenim ne unum quidem pulvinos neglexit, quod certe hic pictor vel ille fecisset, si eiusmodi narratio evaluisset. Itaque Luciani locus nihil habet auctoritatis et recentioris illius aetatis est, quae spinosam ridiculamque inibat quaestionem, undenam Centauro inter montes desertos pulvini fuissent.

Omnino autem aliter iudicandum est de hoc, quod Pholus ne commune Centaurorum dolium aperiret timuisse neque hospiti vinum apposuisse fertur, hic vero bono animo esse illum iubens (Apd. *θαρρεῖν δὲ παρακελευσάμενος Ἡρακλῆς*) ipse reclusit. Quae res, quam in antiquissima memoria exstitisse ad pro-

[35]) Kaibel, Com. Graec. Fgm. p. 104 fgm. 78.

[36]) Locus exstat Conv. cap. 13. Postquam ibi Alcidamas pulvinos teguminaque repudiavit, pergit verbis hisce: *εἰ δὲ καὶ κάμοιμι, χαμαὶ τὸν τρίβωνα ὑποβαλλόμενος κείσομαι ἐπ' ἀγκῶνος οἷον τὸν Ἡρακλέα γράφουσιν*; atque paulo infra (14) de eodem Alcidamante legitur: *λαβὼν δὲ ἅμα* (sc. *τὸν σκύφον*) *ὁ Ἀλκιδάμας ἐσίγησε μικρὸν καὶ ἐς τοὔδαφος καταβαλὼν ἑαυτὸν ἔκειτο ἡμίγυμνος, ὥσπερ ἠπειλήκει, πήξας τὸν ἀγκῶνα ὀρθόν, ἔχων ἅμα τὸν σκύφον ἐν τῇ δεξιᾷ, οἷος ὁ παρὰ τῷ Φόλῳ Ἡρακλῆς ὑπὸ τῶν γραφέων δείκνυται.*

babilitatis quidem speciem adduci, certis autem argumentis comprobari non potuit, Atticorum vasculorum aetate plane constabat et saepissime in picturis occurrit. Sic in amphora 4. heros, postquam vix advenit in Pholoen, ante dolium opertum de eo reserando cum hospite agens pictus est, quod aperte ex manus eius gestu cupam commonstrante cognoscitur; at Pholus dehortans dextram tollit, proinde ac si hospiti explanare velit, quantum subiturus sit periculum, nisi destiterit voluntate sua. Mercurius etiam ac Minerva sedulo inter se colloquentes conspiciuntur. Atque aliae accedunt picturae item aut similiter Pholum dissuadentem ac metuentem exhibentes, velut 11. 19. 21. 22. 32. 37. Quid autem fuisset pictoribus, cur cunctantem dehortantemque Centaurum designarent, nisi ex poetarum carminibus scivissent timuisse illum, ne communem sociorum thesaurum proderet?

Neque vero hoc, quod Hercules dolio aperto ipse hauriebat, in obscuro fuisse permulta docent vascula, in quibus nunc aperiens heros fingitur, velut in 10. 19. 20. 21. 22. 28. 33. 36. 38, nunc proxime reseravit, in 18 et 29, nunc haurit vel hausturus est, in 5. 6. 8. 11. 14. 15. 16. 23. 24. 25. 27. 32. 37. Iam plures testes afferre supervacaneum. Atque adeo pictores in id ipsum illustrandum omnem curam contulerunt, ut saepe heroem, statim postquam advenit Pholoque dextram porrexit (cf. n. 2 et 3), armis nondum depositis ad cupam accedentem haurientemque facerent, quin etiam Pholum apponere nonnunquam obliviscerentur, sicut in 5. 10. 25. 28.[37])

Quae fabulae forma, quamvis primum locum ob-

[37]) Vice versa Hercules deest et Pholus solus reserat in 39; heroe absente duo Centauri prope dolium stant in 17; cupam pictor omisit in 2.

tineret, tamen non una valebat. Altera enim Stesichori fragmento p. 19 allato indicatur, ubi Pholus ipse vinum miscet poculumque apponit. Adde vasculum supra descriptum n. 9, quod Pholum praebet cum oenochoe ad Herculem ut iterum infundat accedentem. Porro illae picturae huc spectant, in quibus et Pholus, et heros in hauriendo occupati conspiciuntur, velut in 8. 15. 16. Neque vero amphora n. 35 praetereunda est, ubi, cum Pholus poculum in cupam demittat, heros clava nixus tranquille inspectat. Quae cum ita sint, iam apparet a notiore illa opinione, quae heroem haurientem fecit, cum poesim tum pingendi artem satis antiquis temporibus nonnunquam abscessisse et Pholum ipsum, ut convenit, pocula ministrantem introduxisse. Neque tamen necesse est huic compositioni Pholi cunctationem atque metum abiudicare, cui Herculem verbis adhortantibus, ut aperiret dolium, persuasisse fingere licet. Quin etiam alius quidam Pholi partes subit heroique poculum apponit, Chiron; de quo Theocritus VII, 149 sq. profert

ἆρά γέ πᾳ τοιόνδε Φόλῳ κατὰ λάινον ἄντρον
κρατῆρ' Ἡρακλῆι γέρων ἐστάσατο Χίρων;

Cuius fabulae amplificationis ab homine nescio quo Alexandrino excogitatae variae inveniuntur causae; nam Chirone quoque, praeceptore (cf. schol. Theocr. XIII, 9; Plut. de mus. 40; vasc. Arch. Zeitg. 1876, p. 199, tab. 17), heros familiariter usus saepius ad eum devertebatur. Cum vero Chiron de Pelio a Lapithis pulsus in Malea habitaret, Centauros ab Hercule fugatos ad eum se recepisse ipsumque herois sagitta ictum esse fama est ficta (qua de re fusius p. 27 sqq.). Quo modo cum ille cum herois Centauromachia coniunctus esset, facile fieri potuit, ut in Pholi spelunca ipsa praesens ac vinum apponens cogitaretur,

praesertim cum pugnae quoque Centaurorum Elicorum et Thessalicorum paulatim confunderentur.[38])

Vix iam Stesichori aetate notum erat aut aliquid valebat apud poetas pictoresque id, quod postea Diodorus tradit, vinum cuidam ex Pholi maioribus a Baccho donatum esse ea condicione, ut biberetur, si quando Hercules apud eum devertisset; cuius mandati memorem Pholum (non Herculem) aperuisse dolium.[39]) Secundum eiusmodi narrationem re vera Pholo non fuisset, cur dubitaret, aut hospitem ipsum sibi haurire pateretur.

Tantopere autem poetae posteriores convivio exornando operam dederunt, ut alios quoque Centauros eius participes facerent, qui similiter atque inter Pirithoi nuptias vino ebrii proelium atrocissimum ad mensas et crateras a prioribus non memoratas commiserunt. Nam Quintus Smyrnaeus Eurypyli scutum describens versus condidit hos (Posthom. IV, 273—283):

Κενταύρων δ' ἐτέτυκτο πολυσθενέων μέγα κάρτος
ἀμφὶ Φόλοιο μέλαθρον· Ἔρις δ' ὀρόθυνε καὶ οἶνος
ἀντίον Ἡρακλῆι τεράατα κεῖνα μάχεσθαι·
καὶ ῥ' οἱ μὲν πεύκῃσι περὶ δμηθέντες ἔκειντο,
τὰς ἔχον ἐν χείρεσσι, μάχης ἄκος· οἱ δ' ἔτι μακρῇς
δηριόωντ' ἐλάτῃσι μεμαότες, οὐδ' ἀπέληγον
ὑσμίνης· πάντων δὲ καρήατα δεύετο λύθρῳ
θειομένων ἀνὰ δῆριν ἀμείλιχον, ὡς ἐτεόν περ.

[38]) cf. Eurip. Herc. 182. 364; Polyaen. strat. I, 3, 1; Theocrit. schol. VII, 149; Tzetz. ad Lyc. 670; Lucan. VII, 449; Lact. Plac. ad Stat. Achill. 238; Myth. Vat. I, 61.

[39]) Diod. IV, 12; cf. schol. Theocr. VII, 149: *ὁ μέντοι οἶνος ἐκεῖνος ὁ δοθεὶς ὑπὸ Διονύσου χαριστήριον· ἀνθ' ὧν αὐτῷ Νάξον προσένειμεν ὁ Φόλος, κρινομένον παρ' αὐτῷ πρὸς τὸν Ἡφαιστον.* Pholum ipsum reserasse dolium praeterea habet Tzetz. Chil. II, 156; V, 116; ad Lyc. 670.

οἴνῳ δ' αἷμα μέμικτο συνηλοίητο δὲ πάντα
εἴδατα καὶ κρητῆρες ἐύξεστοί τε τράπεζαι.[40])

Neque aliter epigramma interpretandum est Anth. Pal. II, p. 654, n. 98 (Iacobs):

Εἷς Ἡρακλέα μεθύοντα·
οὗτος ὁ νῦν ὕπνῳ βεβαρημένος ἠδὲ κυπέλλῳ
Κενταύρους νήφων οἰνοβαρεῖς ὄλεσεν.

Atqui, quamquam utroque loco quin Centauri inter potationem illam fuerint extra dubium stat, vasculorum pictoribus eam rem omnino ignotam fuisse statuendum est. Nam ubicumque adsunt Centauri, nullum unquam praeter Pholum cum heroe concubantem videmus. Immo, aperte commonstrant picturae, nisi iam pugnam exardescentem illustrant (1. 12. 13), profecto rapiendi causa monstra adventasse et heroi in hauriendo occupato manus intulisse. Sic in oenochoe n. 27 unus ab utraque parte heroi haurienti adstat cum laetitiae gestibus vini odore fruens, quorum alterum heros nihil turbatus dextra reprimit. Aut appropinquantes eos videmus, unum ab utroque latere in 5 (B) et 14, duos a sinistra in 34 (B) et 6, quos respicit Minerva in 6. Interdum amphoras secum portant velut in 34 (B), scilicet ut rapiant vinum, quod aeque certe in animo habebat Centaurus, qui praeter Pholum in n. 15 item, atque in 17 et 37 cornu potorium tenens conspicitur. Denique in 35 Pholo Herculique in hauriendo occupatis tres adstant Centauri pinis armati, qui modo advenerunt, neque tamen heroem aggrediuntur. Atque cum picturis op-

[40]) Lapitharum Centaurorumque pugnam poetae exemplo fuisse statim intelleges, si comparaveris eius proelii descriptiones apud Verg. Georg. II, 455 sqq; Ov. Met. XII, 210 sqq; cf. etiam craterem Vindob. Arch. Zeitg. 41 (1883), tab. 18 depict.

time Apollodorus consentit, qui statim primos[41]) eorum, cum vini odore ad rapiendum[42]) adlecti antrum intravissent, ab heroe interfectos esse narrat.

De convivio igitur communi cogitare omnes nos vetant picturae. Neque tamen Quintus Smyrnaeus primus Pirithoi nuptias Pholique hospitium commiscuisse videtur. Non desunt vestigia, quae iam ex comoedia vetustiore eam rem profectam esse indicent. Nam Aristophanis comoediae amissae et *Δράματα ἢ Κένταυρος* inscriptae nonnullae ad nos pervenerunt reliquiae, quas et Meinekium et Kockium recte ad fabulam de qua agitur rettulisse censeo. Cuinam melius quam Herculi velut homini voracissimo atque insatiabili versus conveniat, quem nescio an coquus heroi cenam parans loquatur: *πτίσσω, βράττω, μάττω, δεύω, πέττω, καταλῶ* (Kock, fgm. 271)? Ac si eiusdem fabulae fragmenta habemus velut *ἐκκρουσαμένους τοὺς πύνδακας* (fgm. 270), vel *λίθος δεκατάλαντος* (fgm. 276), nonne aliquid habet probabilitatis Centauros vino ebrios sicut olim apud Pirithoum Martem excitasse doliisque et lapidibus pro armis usos esse?

Sed iam alio nos vertamus. Ex mythographorum libris comperimus proelium, quod convivium sequebatur, et Pholo, et Chironi perniciei fuisse, huic, cum in Malea promunturio ab heroe Centauros persequente invito iceretur,[43]) illi, cum telo venenato,

[41]) Apd. l. l. *τοὺς μὲν οὖν πρώτους τολμήσαντας εἴσω παρελθεῖν.*

[42]) Diod. IV, 12: *ὥρμησαν πρὸς ἁρπαγήν*; Polyaen. strat. I, 3: *τὸν οἶνον ἥρπαζον.*

[43]) Apd. II, 5, 2, 4; Diod. IV, 12, 8; Tzetz. Lyc. 670; Chil. V, 124 sqq; cf. Soph. Trach. 714 sqq. Cui fabulae aetate cedere videtur illa, quae Centaurum in spelunca sua cum Hercule familiariter colloquentem sagitta quadam ex pharetra eius labente necatum et in astris positum esse narrat. cf. schol. Theocr. VII, 149; Philostr. heroic. 9; Ovid. fast. V, 379 sqq;

quod ex vulnere occisi cuiusdam extraxerat, pede laederetur.[44]) Quod Chironem attinet, iam Aeschylo hanc eius mortis rationem notam fuisse ex Promethei vincti versibus illis apparet, quibus Mercurius fatum reserat Prometheo non prius liberando, quam deus aliquis eius loco sua sponte Plutonis regnum inierit;[45]) quod Chironem Herculeo vulnere insanabili aegrotantem fecisse Apollodorus (bibl. II, 4, 5; II, 10) tradit. Verisimiliter autem Aeschylus, cum non rem ipsam explanaret, sed obscure tantum adumbraret, fabulam inter omnes notam carminibusque epicis iam divulgatam spectabat.

Utrum vero Pholi etiam mors eodem tempore, quo Chironis obitus, in fabula exstiterit, an ex eo fortasse fluxerit, an e contrario Chironis interitus secundum Pholum sit fictus, omnibus auxiliis me carentem explicare non posse confiteor.[46]) Nam vascula rem illustrantia dolendum est, quod nulla habemus. Tamen sententiam plane absurdam reiciam saltem, cui nuper Hoefer in RML. l. l. rursus patrocinari videtur, proinde ac si Pholus ab hospite suo ipso e me-

Hyg. astr. II, 18. 38; Plin. 25, 66; Eratosth. cat. 40; schol. Arat. 436; schol. Germ. B p. 99; G p. 178 (Breysig); Sen. Thyest. 860 sqq; Lucan. IV, 393 sqq; Paus. V, 19, 9. Mortem effugit et proelium carminibus celebrat Orph. Argon. 415 sqq. Centaurio herba curatus esse dicitur ap. Plin. n. h. 25, 66, Asclepii arte schol. Pind. Pyth. III, 102.

[44]) Apd. II, 5, 2, 4; Diod. IV, 12, 8; Serv. Aen. VIII, 294; Philargyr. ad Verg. Georg. II, 456; Hygin. astr. II, 38. Eodem modo Philoctetes in Myth. Vat. I, 59 vulnere insanabili afficitur.

[45]) Prom. vinct. v. 1026 sqq; cf. Schoemann, Aesch. gefess. Prom. p. 63. 145—149; Welcker, Kl. Schr. III, p. 8, adnot. 21; Trilog. p. 47 sqq; Pauly-Wissowa, Realencycl. III, 2305.

[46]) Robert quoque Arch. Jb. V, 1890, p. 232, adnot. 29 rem in medio relinquit.

dio sublatus sit. In vasculo enim Cyrenaico[47]) heros Centauri cuiusdam manum capessens clavam ei minatur, quem propterea, quod pedibus prioribus humanis praeditus esset, Kluegmann[48]) Pholum intellexit. Falso, ut iam Puchstein[49]) monuit, cum in fugientium numero alterum eiusdem formae videamus; ceteris quidem quaterni pedes sunt equini. Illius igitur temporis vasculum esse liquet, quo et haec species Centaurea, et illa promiscue adhibebatur. Nunc autem Kluegmanni sententia amphora n. 12 confirmari videtur, ubi a dextra praeter Minervam dolium cum cantharo margini eius imposito pictum est, ante quod sinistrorsum heros altera manu arcum protendit, altera clavam vibrat et contra quinque certat Centauros; quorum unus cecidit, alter supplicantis gestibus ad heroem se revertit, ceteri in fugam se praecipitant. Secundum herois brachium, quod arcum tenet, inscriptio legitur *Φόλος*. Qua de causa facile fieri potuit, ut Pholus consulto ab hospite necatus esse putaretur. Sed ne hac quidem inscriptione Kluegmanni sententia comprobatur. Cum Pholi nomen minime Centauro cuidam, sed Herculi adscriptum sit, non est, cur ad Centaurum proximum id referamus neque in universum locum proeliique causam eo indicata esse intellegamus. Sin nihilominus quispiam Centaurum illum intellegere mavult, nequaquam in eum ipsum heros progreditur, sed in omnes. Pholus autem fortuito proximus ei adstat ita, ut facile heros clavam sagittasque hospiti minari videatur.[50])

[47]) Dep. Arch. Zeitg. 39 (1881), tab. 12, 1.

[48]) Bull. d. Inst. 1876, p. 141 sqq.

[49]) Arch. Zeitg. 39 (1881), p. 243.

[50]) Quin etiam tuetur Hercules hospitem ab impetu sociorum apud Tzetzem, Chil. II, 157/58:

Haec fere sunt, quae vascula picta ad fabulam de qua agitur afferunt. Reliqua in mythographorum compendiis conglomerata, velut quod Nubes mater imbribus filios laborantes adiuvisse fertur (Diod. IV, 12), vel quod multi fugientes ad Sirenum insulas interisse dicuntur (Lycophr. Alex. 670 sqq.; Tzetz ad loc.) aliaque quaedam, qua nos quidem ingredimur via, e carminibus veteribus deducta esse ostendi nequit.

Sed alia de re pauca adiungere liceat. Interdum Iolaus, Herculis comes fidelissimus, in picturis additur; sic in n. 22 duas hastas portans a dolio se recipit caput retro vertens; in 24 amici haurientis clavam tenet, similiter atque in 33: in 23 autem eius loco duo viri barbati adsunt, qui respicientes lente recedunt. Quod Iolaum attinet, tam arte cum Hercule coniunctus cogitabatur, quam Mercurius atque Minerva, et plerumque sicut illi nihil omnino agens apponitur. Laboris ipsius partem in Hydrae modo pugna subisse traditur (Hesiod. Theog. 317). Praeterea in Cycni proelio eum adfuisse Hesiodus Scut. Herc. 74 sqq. narrat, in expeditione contra Geryonem suscepta Diodorus IV, 24, in bello Herculis Troiano Pindarus, Nem. III, 36. Paulatim vero in omnibus fere laboribus praesentem eum putatum esse et Euripides docet (Heraclid. 7 sq.), ubi Iolaus de se ipse profitetur: *πόνων πλείστων μετέσχον εἷς ἀνὴρ Ἡρακλέει,*[51]) neque pictores dubitaverunt, ubique eum addere,[52]) quin etiam in Plutonis regno. Apparet igitur, ubicumque in vasculis occurrat Iolaus, non semper licere de memoria antiqua aut vestigiis poeticis cogitare.

οἱ δ' ἐπελθόντες χαλεπῶς ἐπέκειντο τῷ Φόλῳ,
ὅθεν αὐτοὺς ὁ Ἡρακλῆς ἀπέκτεινε τοξεύων.

[51]) cf. Eurip. Ion. 198 sqq.

[52]) Exempla contulit Stoll, RML. II, 288/89.

Idem censeo de viris duobus barbatis, qui in 23 conspiciuntur. Primo forsitan cogitet quispiam de Polyaeni narratione strat. I, 3: *οἴνου δὲ ἀνθοσμίου πίθον ἀνοίξας αὐτός τε καὶ ὅσοι ἀμφ' αὐτὸν ἠρύσαντο.* Neque artis monumentis, sarcophagis Romanis, caremus, in quibus saepius heros una cum comitibus nonnullis contra Centauros proeliatur.[53]) Vetustiori autem fabulae compositioni eiusmodi amplificatio ab historiarum scriptoribus verisimiliter inventa omnino contradicit. Atque haec quidem hactenus; iam ad aliud argumentum transeamus.

Pars II.

De Herculis contra Geryonem expeditione.

Postquam Hercules e meridie taurum Cretensem, a septentrione Diomedis equos Mycenas transportavit et in sole oriente Amazonum turbam ferocem depugnavit, proximum dodecathli locum Eurysthei mandatum tenet, quo occidentalem orbis plagam adire cogitur ea condicione, ut boves Geryonis, qui ultra Oceani undas sedem habebat, domino suo adigat. Inter multas Graecorum fabulas, quas de bobus furtim abactis novimus, velut Mercurii, qui greges Apollinis Pylum abduxit, vel Pterelai filiorum, qui Electryonis armenta Mycenis in Elidem egerunt, vel Alcyonei Gigantis, qui Solis quondam boves ex Erythea subripuisse fertur, maxime a poetis atque artificibus Herculis in Erythea facinus celebrabatur. Illa praecipue aetate, cum scientia orbis terrarum amplificata Erythea non iam in Peloponnesi occidentali

[53]) Tres affert Robert, Arch. Jb. V (1890), p. 231, adnot. 24.

parte quaerebatur, ubi antea collocata videtur esse,[54]) sed propter Oceani fines remotos, quod iam ante Hesiodum fiebat, via longinqua atque ignota non solum poetis, sed historiae quoque scriptoribus item ac geographis et etymologis non ingratam praebuit occasionem copiae aliarum fabellarum cum hoc facinore conectendae, ita, ut tandem heros totam fere Europam et apud Diodorum (IV, 17 sqq.) Hesperidum fabula huc partim translata Africam quoque peragret, ubique auxilians ac feris gentes liberans. Ex tanta materia pingendi ars nonnullas partes maxime eminentes eligere satis habebat: impetum ab heroe in Solem factum, navigationem eius in Solis poculo, pugnam in insula ipsam, boves inde abactos. Atque his imprimis operam navabimus. Cum vero vetustissima quam habemus fabulae narratio, Hesiodi, neque impetum in Solem deum, neque in poculo navigationem tradat, a pugna ipsa initium facere utile est.

Iam ab Hesiodo, quamvis breviter atque presse rem narret, tamen omnia, quae aliquid momenti habent, comperimus. Aliter igitur atque in pugna Centaurea res se habet; ibi ex vasculo antiquissimam fabulae formam collegimus, hic poetae cuiusdam satis antiqui versus diem tulerunt.[55]) Ac primum de ge-

[54]) Vestigia exstant apud Hecataeum FHG I, p. 27, 349, qui prope Ambraciam et Amphilochorum fines eam sitam fuisse atque inde Herculem boves abegisse contendit. Scylax, Peripl. (GGM I, 26) Erytheam commemorat in Cestride, quae Epiri pars est, versus mare Ionicum sitam. Aristot. mirab. ausc. c. 133 ex vetere inscriptione probari posse credit Erythum (sic pro Erythea) prope Hypatam, Thessaliae locum, olim fuisse. Cf. Preller, Gr. Myth.[3] II, p. 205; Gruppe, Gr. Myth. I, p. 460; Wilamowitz, Herakl.[2] I, p. 65; Friedlaender, Herakles p. 135; Berger, Myth. Kosmogr. der Griech. (RML. Suppl. III, p. 16).

[55]) Theog. 287—294; 309; 979—983.

nere constat Geryonis, Chrysaoris et Callirrhoes filii; sedem habet in Erythea insula ultra Oceani undas, id est in alto Oceano. Ibi praeclari boum greges eius pascuntur Eurytionis pastoris Orth(r)ique canis curis commissi. Quo postquam Hercules mare transvectus pervenit, nocte fortasse, ut Stesichorus quoque (fgm. 8) et Apollodorus (bibl. II, 5, 10, 5) memoriae tradunt, quia in stabulo tenebroso neque in pascuo bubulcum cum cane invenit, — nisi mavis in universum ad regionem occidentalem *ἠερόεις* (v. 294) epitheton referre —, his facile interemptis Geryonem ipsum superat pecusque abducit. Plura desunt; nec quonam modo mare transierit exponitur, nec Eurytionis Orthique descriptionem legimus, nisi quod hic, ut multa alia monstra, Echidnae Typhonisque proles dicitur (v. 309). Quin etiam de Geryone comperimus id tantummodo, omnium hominum validissimum eum fuisse (v. 981) et tria habuisse capita (v. 290).

Sed ad hanc rem recte intellegendam haud parvam utilitatem vasculum quoddam affert. Etenim si in verbis haereremus, *τριπέφαλος* quod legitur adiectivum ita accipiendum esset, tamquam si tria capita in uno corpore Geryon coniunxisset; neque absunt, qui ita locum intellegendum esse censeant.[56]) Atque etiam artis nonnulla monumenta habemus, quae eiusmodi effigiem exhibent, (coll. Drexler RML. I, 2, 1638; Usener, Mus. Rhen. 58, p. 175, not. 1; vas nostri indicis [cf. p. 36] n. 42 sign.). Tamen, omnia illa artificia cum recentioris aetatis sint, ad Hesiodum interpretandum adhibere vix liceat.[57]) Sed

[56]) Fred. Wieseler in Erschii et Gruberi Encycl. s. v. Geryon, p. 198[b]; Leutschius ibid. p. 209[b].

[57]) Voigtius RML. I, 1632 sq. formam tricipitem quasi compendium quoddam dicit ex specie tricorpori sumptam, Wilamowitz, Herakl.[2] praefat. p. IX depravationem nullius

inter vascula, quae Kleinii indice (Euphronios[2], p. 58 sqq.) nixus sub nota 58 denuo collegi atque

pretii: a Voigtii sententia stat Usener, Dreiheit, Mus. Rhen. 58 (1903) p. 175. Quinquaginta tria capita Geryoni attribuit Serv. Aen. VII, 662 = Myth. Vat. I, 68, p. 23.

[58]) Ad Herculis proelium cum Geryone commissum vascula spectant haec:

I. Figuris atris ornata:

Vasc. protocorinthium:

1. Pyxis Athenis reperta et in mus. Brit. servata; dep. Journ. of Hell. stud. V, p. 176.

Vascula Chalcidica:

2. Amphora Parisina dep. Duc de Luynes, vas. peints tab. 8; Gerhard, A. V. 105/06; Baumeister, Denkm. p. 1966; RML. I, p. 1631.
3. Amphora mus. Brit. B 155; Caere reperta; dep. Gerhard, A. V. 323; Walters, Catalogue of vases in the Brit. Mus. II, p. 17.

Vascula Rhodia:

4. Amphora Camiri reperta, mus. Brit. B 156; cf. Journ. of Hell. stud. V, p. 182.
5. Cylix eiusdem originis mus. Brit. B 442; cf. Journ. of Hell. stud. V, p. 182, 3.

Vascula Attica:

6. Amphora (Execiae) Vulc. repert. nunc in mus. Louvre F 53; olim coll. Durand 296; dep. Gerhard, A. V. 107; Wiener Vorlegebl. 1888, tab. V, 1; Baumeister, l. l. p. 662.
7. Amphora in mus. Louvre F 55; dep. Pottier, Vases ant. du Louvre tab. 67.
8. Amphora ex Etruria reportata in mus. Louvre F 155; dep. Pottier l. l. tab. 72.
9. Amphora mus. Brit. B 220; coll. Durand 295.
10. Amphora Vulc. repert. mus. Brit. B 194; coll. Durand 297; dep. Walters, Catalogue II, tab. IV.
11. Amphora mus. Brit. B 221; dep. Gerhard, A. V. 157, 2; descr. de Witte, Description 124.
12. Amphora mus. Brit. B 157; De Witte l. l. 139.
13. Amphora Wirzeburgensis III, 308; dep. Campanari, Vasi Feoli 85.

auxi, unum habemus perantiquum rudisque artificii (n. 1) eius generis, quod protocorinthium Furtwaengler nominavit, certe saeculi septimi medii, si non vetustius, et Stesichoro, qui Geryonem tricorporem dixisse traditur (cf. infra p. 38), aetate antecedens. Conspicitur ibi in zophoro, qui pyxidem cingit, Geryon ab Hercule se defendens et certe ex

14. Amphora Wirzebg. III, 312; dep. Campanari l. l. 86.
15. Amphora „ III, 425.
16. Amphora Monac. 81.
17. Amphora Monac. 308.
18. Amphora mus. Greg. II, 42; descr. Helbig, Führer[2] II, p. 295, n. 1207.
19. Amphora Neapolitana 2725.
20. Amphora descr. Bull. de l'académie de Bruxelles VIII, 6.
21. Amphora coll. Basseggio nunc Londini asservata, dep. Gerhard, A. V. 108.
22. Amphora dep. Gerhard, A. V. 104.
23. Amphora Vulc. reperta; coll. Durand 294; coll. Pourtalès 206.
24. Amphora coll. Depoletti; cf. De Witte, Descr. 119.
25. Amphora coll. Guglielmo in Civitavecchia; descr. Bull. d. Inst. 1869, p. 166.
26. Amphora descr. Bull. d. Inst. 1866, p. 230.
27. Amphorae fgm. coll. Panckoucke 66; dep. Nouvelles annales 1838, tab. C.
28. Hydria (Klein falso amphora) Caere reperta; descr. Bull. d. Inst. 1869, p. 250.
29. Hydria Caere reperta; descr. Bull. d. Inst. 1865, p. 145.
30. Hydria Monac. 407.
31. Hydria mus. Brit. B 310; cf. L. Bonaparte, Mus. Etr. p. 135; Annal. d. Inst. III, p. 142.
32. Hydria coll. Sothebey n. 65.
33. Hydriae fgm. Orvieti erutum; descr. Arch. Jb. XI, 1896, p. 179.
34. Lecythus Berol. 1999.
35. Lecythus Athenis reperta; nunc Berol. 2007.
36. Lecythus ex Graecia reportata; exstat nunc in mus. Brit; dep. Journ. of Hell. stud. XVIII, p. 299.

tribus corporibus compositus, quamquam non satis aperte sex pedes distingui possunt; quattuor vel quinque equidem numero; sed conferas quaeso, quomodo tres boves a dextra parte pictor finxerit, quorum tribus capitibus duo corpora septemque pedes respondent, et statim intelleges de Geryone tribus integris corporibus instructo artificem non dubitasse. Clarissime eius tria capita atque tres clipei apparent. Prima manus gladium in adversarium protendit, altera hastam perlongam supra capita vibrat, ceterae post clipeos corporaque latent. De vestimentis ex pictura nihil certi intellegi potest. Adhuc omnia corpora invulnerata resistunt. Hercules velut sagittarius pharetra arcuque armatus, pleno gradu dextrorsum tendens, sagittam in adversarium missurus est. Chitone brevi videtur indutus esse, certe non pelle leonina, qua illa aetate nondum exornabatur (cf. Furtwaengler, RML. I, p. 2139). Post heroem zophori spatium quinque leonibus expletur, ut saepius in vasculis Corinthiis videmus, quippe quae raro ab ornamentis ac bestiis depingendis ad res mythologicas illustrandas transierint. Miraberis, quam in-

37. Cylix Nolana mus. Brit. B 426; dep. Mon. d. Inst. IX, 9—11; cf. Annal. 1869, p. 245; Bull. 1866, p. 217.
38. Urceus Wirzebg. I, 66; cf. Bull. d. Inst. 1858, p. 34. II. Figuris rubris:
39. Amphora Berol. 3258; dep. Gerhard, Apul. Vasenb. tab. 8—10.
40. Cylix (Euphronii) Vulc. reperta, nunc Monac. 337; dep. Klein l. l. p. 54/55; Mon. inéd. publ. par la sect. franç. de l'inst. arch. tab. 16. 17 = Wiener Vorlegebl. V. 3; Furtwaengler-Reichhold, Griech. Vasenmalerei tab. 22.
41. Cylix Vulc. reperta; dep. Noël des Vergers, l'Etrurie, tab. 38; Klein, l. l.
42. Urceus Neapolitanus 1924; dep. Millingen, Peintures 27; Guigniaut, Rel. de l'ant. 180, 660.

condite omnia picta sint. Sed nihilominus lucide apparet iam ante Stesichorum Geryonem tricorporem notum fuisse atque ita fictum, ut Pausanias V, 19, 1 eius effigiem in Cypseli cista expressam describit: *τρεῖς δὲ ἄνδρες Γηρυόνης ἀλλήλοις προσεχόμενοι*, atque Apollodorus II, 5, 10, 2: *Γηρυόνης . . . τριῶν ἔχων ἀνδρῶν συμφυὲς σῶμα συνηγμένον μὲν εἰς ἓν κατὰ τὴν γαστέρα, ἐσχισμένον δὲ εἰς τρεῖς ἀπὸ λαγόνων τε καὶ μηρῶν*. Quam ob rem valde probabile est, Hesiodum quoque eius formae non ignarum fuisse, et *τρικέφαλον* adiectivum non solum tria capita, sed etiam corpora spectare, praesertim cum tria capita minime corpus triforme excludant.[59]) Bubulcum canemque pyxidis opifex omisit. Boves autem post Geryonem stantes heroem gregem iam abacturum fuisse cum Geryon occurreret testantur, quod non nisi Eurytione atque cane antea interfectis fieri potuit. Fabulae igitur narrationem pictor secutus est vix ab Hesiodea differentem, quam saeculo etiam septimo medio valuisse pictura probat.

Tum Stesichorus fabulam tractaverat, cuius Geryoneidis praeter testimonia fragmenta quoque pauca

[59]) Similiter, quamvis tricorporis Geryonis haud inscii, tria capita modo significant hi: Palaephatus (Mythogr. Graec. III, 2, 58): *τρικάρηνος, ὥσπερ ὁ Γηρυόνης*; Nonnus XXV, 236: *κάλλιπε καὶ τριλόφοιο καρήατα Γηρυονῆος*; Suid. s. v. Geryon: *ὁ γὰρ Γηρυόνης τρικέφαλος ὤν*; Fronto (p. 65 Nab.): tricipitem Geryonam; Apollinaris Sidonius, carm. XIII, 14: uni (sc. Herculi) tergeminum cui tulit ille (sc. Geryon) caput. Contra Tzetz. Lyc. 651: *ἦν δὲ καὶ τρικέφαλος καὶ τρισώματος ὁ Γηρυόνης*; Luc. Tox. 62: *Γηρυόνην . . . ἄνθρωπον ἑξάχειρα καὶ τρικέφαλον*. Vice versa Euripides *τρισώματος* pro *τρικέφαλος* usurpat, Cerberum *τὸν τρισώματον κύνα* appellans (Herc. fur. 24), cum nusquam Orci custos ea specie fictus tradatur (cf. part. III), et Euripides ipse vv. 611. 1277. *τρικάρανον* epitheton ei attribuat.

habemus (Bergk, PLG[4] fgm. 5—10), nullum quidem pugnam ipsam spectans nisi illud, quod de Eurytione pastore Strabo III, 148 tradit: eum natum esse prope Tartessum flumen ex adverso Erytheae in tenebrosa spelunca propter metalla argento fertilia.[60])

Quantum autem carminis ipsius interiit, pingendi ars rursus complet atque restituit, cum duae amphorae servatae sint, quae, quin cum Stesichori carmine concinant dubitari non potest. Ex scholio enim Hes. Theog. 287 scimus, non solum tricorporem a Stesichoro Geryonem fictum esse, sed etiam pennis instructum *(Γηρυονεὺς . . . Στησίχορος δὲ ἓξ χεῖρας ἔχειν φησὶ καὶ ἓξ πόδας καὶ ὑπόπτερον εἶναι)*[61]). Quid, quod in duabus picturis, n. 2 et 3, ingentibus

[60]) Bergk[4] fgm. 5: *οὗτος εἰπεῖν ὑπολαμβάνουσι Στησίχορον περὶ τοῦ Γηρυόνος βουκόλου, διότι γεννηθείη*

Ταρτησσοῦ ποταμοῦ σχεδὸν ἀντιπέρας κλειτᾶς Ἐρυθείας

ἐν κευθμῶνι πέτρας παρὰ παγὰς ἀπείρονας ἀργυροῤῥίζους.

De sermone inter pastorem Herculemque habito cogitavit Leutschius, Erschii et Gruberi Encycl. s. v. Geryoneis p. 211. Geryonem ipsum versibus intellegendum esse Preller, Gr. Myth.[3] II, p. 212 censet. Voigtius quoque RML. I, 1634 eodem inclinans legendum esse suspicatur pro „*περὶ τοῦ Γηρυόνος βουκόλου*" „*περὶ Γηρυόνος τοῦ βουκόλου*", testimonio usus Scylacis verbis: *Γ. λέγεται τοὺς βοῦς βουκολεῖν* (GGM. I, 26). Sed aperte Strabonis verba III p. 148 in Geryonis pastorem spectant neque quicquam est causae, cur textum mutemus. Marte Erytheaque, Geryonis filia, eum natum esse Hellanicus (schol. Hes. Theog. 293) et Serv. Aen. VIII, 300 proferunt.

[61]) Falso Wieselerus et Leutschius l. l. scholion intellexerunt, qui Stesichorum praeter pennas tria etiam Geryonis corpora invenisse censuerunt, quae antiquiora esse modo explanavimus. Qua re Kleinii quoque sententia l. c. p. 63 refellitur, qui Geryonis alitis figuram, cum arti orientali similior sit, alteri, pennis carenti, aetate antecedere contendit. Parum accurate Eudocia, viol. p. 341 (Flach) scholion exscripsit sic: *μυθεύεται δὲ ὁ Γηρυόνης τριπέφαλος καὶ ὑπόπτερος· Στησίχορος δὲ καὶ ἓξ χεῖράς φησι ἔχειν αὐτὸν καὶ ἓξ πόδας.*

alis Geryonem praeditum videmus? Praeterea vascula Chalcide saeculo sexto picta sunt, ubi eo facilius pictores poetae Himeraei carmen sequi potuerunt, quod Himera colonia erat Chalcidica (Thuc. VI, 5), qua de causa in metropoli etiam eius carmina celeberrima fuisse verisimile est. Videmus autem in amphora Parisina (2), cum sinistram partem quattuor vaccae taurusque unus colore albo insignis, et Minerva chitone longo vestita, hasta armata, anguibus Gorgonei loco vibrantibus circumdata teneant, in parte dextra Herculem chitone atque pelle indutum et sagittis adversarium petentem. Hic gravis armaturae et tribus quidem capitibus, tribus pectoribus sexque manibus instructus est, sed unum corpus inferius duosque pedes habet: tres manus hastas vibrant, tres tenent clipeos. Quod autem maxime memoratu dignum est, ingentes duae umeris pennae applicatae sunt. Inter pugnantes Orthus canis mortuus in tergo iacet, nihil a cane vulgari differens, itemque Eurytion bubulcus, chitone vestitus, in faciem prostratus est sagitta tergo ictus, cum altera sagitta in uno Geryonis collo vel pectore superiore haereat, nondum valens corpus labefacere. In amphora 3 Geryonis forma nihil differt a superiore, neque vero iam impetum sustinet, cum unum corpus deficiens ad sinistram dependeat, alterum ad dextram delabatur, tertium femoribus ipsis quoque cadentibus vix se sustineat. Huius galeam Hercules accedens sinistra capessit, manu altera clipeum unum comprehendit: non habet leonis pellem, sed chitonem, loricam, gladium, pharetram. Minerva etiam inermis et chitone longo vestita adest. Nomina utriusque imaginis personis adscripta sunt.

Quamquam picturis inspectis vix quisquam dubitabit, quod pennas attinet, quin re vera a Stesichoro

inventae sint, propterea cer ɔ, ut ingens Geryonis celeritas notaretur,[62]) tamen valde est mirum, quod pictores — vel pictor, si fortasse ex eadem officina utrumque vasculum prodiit, — antiquam tricorporis hominis formam, quam traditam habebant quamque Stesichorus nihil mutaverat, neglegentes duos modo pedes ei dederunt. Quae inter poetam atque artem discrepantia aliter intellegi nequit, nisi concedimus pictores libero arbitrio fecisse novum alarum ornamentum facile accipientes, antiquioris autem speciei non exiguam partem omittentes eo fortasse consilio, ne figuram nimis monstruosam fingerent.

Praeterquam, quod pennas Geryoni applicavit, quemadmodum Stesichorus pugnam cantaverit, lucide ex picturis perspicitur. Haud dubie liquet a narratione memoriae tradita eum non abscessisse. Etenim primum heros canem pastoremque superat, quorum utrumque pictura n. 2 Geryone advolante non iam viventem ostendit. Nihilominus aliquid novi ex amphora Parisina (2) colligitur, hoc, quod Eurytion hostis immanitate perterritus et suis rebus desperans fuga salutem petivit, quoniam in tergo, non in pectore sagitta haeret, ac vultus manibus tegens in faciem prostratus conspicitur, ita, ut de Homeri versu nos commonefaciat: *ὁ δὲ πρηνὴς ἐπὶ γαίῃ κάππεσεν* (Il. XVI, 310 al. loc.). Deinde, ni fallor, cum heros gregem, quem pictum vidimus, abacturus esset, subito dominus armentorum appropinquat. Atque proelio acerrimo commisso Geryonis corpus medium, quamquam telo ictum est, haudquaquam conquassatur. Omnibus iam sagittis ab heroe missis — nulla in eius pharetra restat in pictura 3

[62]) cf. Gerhard, Über die Flügelgestalten der alten Kunst (Ges. acad. Abhdlg. I, p. 162). Langbehn, Flügelgestalten der älteren griechischen Kunst. Monac. 1880.

— Geryon impetum non iam sustinet; labitur, nihilominus quam diu potest se defendens. Heros autem tranquille ac nullis armis usus accedit et spoliis hostem semivivum exuere conatur altera manu galeam, altera clipeum capessens *(τεύχεα τ' ἐξανάριξε)*; nam hoc quoque, spolia heroem non aspernatum esse, ex pictura 3. novum addiscimus. Qua re simul apparet, unde Vergili memoria fluxerit Aen. VIII, v. 202/03: tergemini nece Geryonae spoliisque superbus | Alcides aderat.

Num vero Stesichorus, ut posteriores, Orthum canem aeque ac fratrem eius Cerberum, id est compluribus capitibus caudaque anguinea praeditum sibi finxerit, pro certo dici vix potest. Pictor quidem non fecit, et ex carminis ipsius paucis reliquiis de ea re nihil elicitur. Fragmentum incertae sedis sub Stesichori nomine traditum: *ἀπειρεσίοιο κυνυλαγμοῖο* (Bergk[4] fgm. 85) optime quidem ad rem quadraret et narrationem similem Apollodori indicaret, qui a cane primo heroem accedentem animadversum esse refert.[63]) Neque vero minus apte cum Cerberi raptu, quem ipsum quoque poeta cantaverat,[64]) coniungitur. Itaque certis indiciis caremus; valde autem probabile est neque Hesiodum, neque Stesichorum Orthi speciem copiosius exornasse. Quam ob rem pictor, qui Stesichorum sequebatur, praesertim cum canis pecuarius, neque Orci terribilis custos adumbrandus esset, velut canem vulgarem eum pinxit.

Sed hucusque de Stesichoro eiusque pugnae compositione. Praeter picturas Chalcidicas alias nullas habemus ex carmine eius aperte pendentes. Magnam enim vasculorum Atticorum copiam, quae nunquam

[63]) bibl. II, 5, 10, 5: *αἰσθόμενος δὲ ὁ κύων ἐπ' αὐτὸν ὥρμα.*

[64]) Bergk[4], Stes. fgm. 11.

Geryonem alitem exhibeat, aliud exemplar secutam esse liquet. Florebant tum autem Pisander atque Panyassis, quorum utrumque fabulae studuisse scimus[65]). Quam ob rem eorum saepe vestigia in picturis inesse valde probabile videtur.

Ac primum ex illis hoc elucet, alas a Stesichoro inventas minime posterioribus probatas aut retentas esse, atque multo minus duos pedes, quos pictores illi Chalcidici introduxerant. In omnibus enim non solum picturis,[66]) sed aliis quoque artis monumentis, velut in Cypseli cista,[67]) in metopis Thesei quod dicitur Atheniensis[68]) et templi Iovis Olympiaci,[69]) item, atque in metopis thesauri Atheniensium Delphis aedificati,[70]) ad quas statuae accedunt in Cypro insula repertae,[71]) vetustior triplex forma exstat, quae pennis caret. Neque tamen in Attica Geryonem alitem ignotum[72]) fuisse ex Aristoph. Ach. v. 1082 fortasse concludere licet, ubi Dicaeopolis in avibus ad cenam opulentam apparandis occupatus quattuor avium pen-

[65]) cf. fragmenta p. 56 allata.

[66]) Excipienda sunt praeter n. 42 supra memoratum amphora Lucana n. 39, quae Geryonem duobus corporibus superioribus, uno inferiore instructum praebet, et amphorae fragmentum n. 27, in quo duo integra corpora coniuncta videmus.

[67]) Paus. V, 19, 1.

[68]) Sauer, Das sog. Theseion und sein plastischer Schmuck (Leipz. 1899), p. 176. tab. VI.

[69]) Treu, Bildwerke v. Olympia (Ausgrab. vol. III), p. 170/73. tab. XL, 9.

[70]) Homolle, Fouilles de Delphes V, tab. 44—45; Arch. Anzeig. IX, p. 184.

[71]) Cesnola, Cyprus p. 156; RML. I, 1633.

[72]) Ceterum vasculum n. 4 a Kleinio l. l. velut Rhodium allatum, a Furtwaenglero RML. I, 2203 Atticum putatum. Chalcidicum esse contendit Smith, Journ. of Hell. stud. V, p. 182, qua ex re appareret, Geryonem sine pennis etiam pictoribus Chalcidicis non ignotum fuisse.

nas (Droysen), vel totos turdos (Voigt, RML. I, 1632), quos antea emit (v. 877 sqq.), capiti umerisve admovens et hoc modo se Geryonem esse simulans Lamacho dicit haec: *βούλει μάχεσθει Γηρυόνη τετραπτίλῳ*; sententia verborum est fere: vin tu, Lamache, quamquam tres cristas gestas (cf. v. 965) mecum te comparare, qui omnibus bonis abundo epulisque gaudeo, cum tu ad bellum proficisci debeas?[73]) Iocatur poeta in Geryonis formam omnibus notam. Sed magnopere erraret, si quis re vera quattuor pennas in arte poesique ei fuisse putaret neque quantopere poeta verum supergressus esset intellegeret.

Pugnae autem ipsius ratio tunc etiam eadem retinebatur, quae antea fuerat. Semper sic fiebat, ut heros primum canem bubulcumque, novissime dominum armentorum superaret. Quod rursus picturae testantur; in quibuscumque enim canis adest, inter pugnantes mortuus vel moriturus conspicitur. Sic necatus aut vulneratus in tergo iacet in 5. 35. 37. 40 (hic sagitta in latere ictus), vel animam agens post Geryonem incurvatur in 18, vel contra heroem ipsum adsilit in 10, hoc ipso motu moriturus etiam indicans, antea dentibus se advenam petivisse. Differebat igitur pictoris exemplar nihil ab Apollodori, qui eandem rem verbis expressit hisce: *αἰσθόμενος δὲ ὁ κύων ἐπ' αὐτὸν ὥρμα.*

Ut in n. 2, Orthi species in 5. 10. 35. 37 quoque eadem, ac vulgaris canis est, in 18 autem et 40 duobus capitibus caudaque anguinea instructus conspicitur. Qua re ut de Ortho idem, ac de Cerbero censerem adductus sum, hoc, eius formam valde incertam mutabilemque fuisse (cf. part. III). Cum ab He-

[73]) cf. Ephippi comoediae fragmentum (Meineke, Com. Gr. Fgm. III, 323), ubi piscis incredibili magnitudine *(ἁλίας Κρήτης μείζω)* Geryoni regi paratur.

siodo (Theog. 309) Thyphonis et Echidnae proles dicatur, h. e. frater Cerberi, Hydrae, Chimaerae aliorumque monstrorum, mirum esset, si ei soli nihil monstruosi fuisset; quale autem hoc fuerit neque Hesiodus, neque Stesichorus scivisse aut explicasse videtur, cum pictor, qui huius carmen secutus est, a forma canis pastoralis nihil abscederet, ut supra est dictum. Aetate demum vasculorum Atticorum opinio propagata erat, Orthum sicut fratrem eius bicipitem atque cauda anguinea instructum fuisse, sive quod poeta quidam sic eum descripserat, sive ipsi opifices propter eius cum Cerbero affinitatem ad eam pingendi rationem venerant. Neque vero tum formam vetustiorem subito evanuisse illi pictores ostendunt, qui nihilominus speciem traditam canis vulgaris servabant. Tamen paulatim bicipitem Orthum primum locum tenuisse atque inter omnes notissimum fuisse Apollodorus quoque testatur non unicipitem, sed bicipitem canem appellans (*Ὄρθος ὁ κύων δικέφαλος*).[74]) Ultra quidem eius species non exculta est, et forma triceps, ut Cerberi, in eo nunquam probata videtur esse; neque enim scriptores eam memorant, neque pictores fingunt. Semel tantum, in ectypo archaico Cyprio[75]) saeculi sexti exeuntis, tribus capitibus ornatus conspicitur, reliqua artis monumenta semper corpus biceps retinent, praeter vascula metopae etiam thesauri Atheniensium Delphici. Ceterum ex cane compluribus capitibus instructo Pindari amplificatio mihi fluxisse videtur, qui Isth. I, 13 sq. non

[74]) Praeterea duo capita habet apud Serv. Aen. VII, 662; Ioa. Pedias. de Herc. lab. 10; schol. Plat. Tim. 427, p. 948 (Baiter); Myth. Vat. I, 68; II, 152; III, 13, 6; duo capita canina septemque draconis apud Tzetz. Lyc. 653 = Eudociam 865, p. 632.

[75]) Dep. Cesnola, Cyprus p. 136; RML. I, 1635; Daremberg-Saglio, Dict. s. v. Hercule fig. 3765.

canem, sed canes, plurali modo usus commemorat,[76]) fortasse ut rem incredibilem evitet; quam exornationem scholiasta velut alienam a vero reicit atque unum fuisse canem defendit.

Sicut canem, pastorem etiam ubicumque pingitur inter pugnantes humi iacentem videmus aut mortuum, praeter 2 in 4. 5. 8. 9. 12. 13. 26. 34. 38. et metopa „Thesei“, aut graviter vulnere aegrotantem atque morientem, corpus plerumque manibus sustentantem in 6. 7. 10. 11. 14. 16. 17. 18. 19. 21. 22. 23. 25. 29. 30. 33. 40. 41. Ostendunt autem picturae hos opifices non iam memoria tenuisse illud, quod ex amphora Chalcidica n. 2 elucebat, Eurytionem fugisse et tergo sagitta ictum esse. Quo respicit tantum n. 10, ubi ex tergi vulnere sanguis profluit; non ita, ut pictura 2 habebat, corpus in faciem prostratum est, sed sedens fere bracchio sinistro nixum humi iacet. Atque in Execiae etiam amphora n. 6 eadem memoria patet; transfixit enim sagitta totum pastoris caput aversum et cuspes ex fronte eminet.[77]) Cetera vascula rem plane contrariam docent, non modo non fugisse pastorem, sed etiam aliquantum gregis raptori restitisse. Saepe enim arma gestat, velut gladium vel cultrum in 6. 9. 23, clavam in 16, clavam et lapidem in 25, lapidem et palmae ramum in ectypo Cyprio, lapidem solum in 7 et 14, gladium hastamque in 30, 34 et 36, duas hastas in 31. Atque magis

[76]) *καὶ τὸν ἀδείμαντον Ἀλκμήνα τέκεν παῖδα, θρασεῖαι τόν ποτε Γηρυόνα φρίξαν κύνες.* Ad Geryonis fabulam spectant praeterea Pind. fgm. 81. 169 (ed. Schroeder).

[77]) Quae res in picturis apud Gerhard, A. V. 107 et Baumeister, p. 662 omnino neglecta est, bene repraesentata Wiener Vorlegebl. 1888, tab. V, 1b; praeterea describit Pottier, Vas. ant. du Louvre F 53: „la tête traversée de part en part par une flèche.“

eius fortitudinem vulnera adversa testantur; etenim ingens sagitta in 21 in ipso pectore cruentato haeret, cum in 4 et 19 pastor manum in pectoris vulnus premat, in 8 autem tria conspiciantur vulnera, capitis, lateris, femoris; femur sauciatum Euphronii quoque patera n. 40 ostendit.[78])

Quomodo Eurytione caneque necatis fabulae narratio producta sit, nemo praeter Apollodorum tradit, cuius fidem argumentis firmare non possumus. Narrat autem mythographus (bibl. II, 5, 10. 6) Menoetem ibidem Plutonis armenta pascentem Geryoni quae accidissent nuntiasse, atque hunc apud Anthemuntem flumen furi armentorum manus intulisse.[79]) Quamquam secundum talem fabulae compositionem fieri non potest, ut eodem loco et canis pastorisque corpora iaceant, et pugna cum Geryone committatur, ut omnes ostendunt picturae, tamen in arte id nihil offendit, quoniam saepissime pictores archaici complures res alio tempore alioque loco gestas in unum contrahere solent.[80])

Quod autem Geryonis impetum attinet, nonnul-

[78]) Quod Aeschylus Heraclid. fgm. 74 (Nauck²) de compluribus Geryonis pastoribus disserit (*βοτῆράς τ' ἀδίκους κατέκτα δεσπότην τε τρίπτυχον*), ipse, ut Pindarus canum, sic pastorum numerum auxit; neque vero, ut scholiasta ad Aristid. p. 547, 9—15 censet, *τρίπτυχος* adiectivum tres fratres significat, qui multo post Aeschylum pro Geryone triformi substituti sunt (cf. p. 52).

[79]) Menoetes praeterea apud Apd. II, 5, 12, 7 et Tetz. Chil. II, 396 sq. memoratur in Orco ipso Plutonis boves pascens. Ab Hercule, quem, cum propter Cerberum descendisset bovemque sacrificare vellet, impedire conatur, luctando superatur. Nonnulli Menoetem eundem esse contendunt, ac Menoetium, Iapeti filium, Iovis fulgure in Tartarum reiectum. cf. RML. s. v. Menoetius; Preller, Gr. Myth.⁴ p. 48, 1; Gruppe, Gr. Myth. p. 459 sq. Anthemunta Colchorum regionem perfluentem Plin. n. h. VI, 15 memorat.

[80]) Robert. Bild und Lied. p. 14 sqq.

lae res in his picturis (4—42) evidentius exstant, aliae novae accedunt. Raro pictores bobus additis quare pugna exarserit significant, velut in 5. 38. 40. 41; plerumque armentum omnino abest. Geryon semper ut homo gravis armaturae fingitur, neque metopae Thesei Atheniensis sculptor nuda fere corpora eius exprimens duos saltem clipeos unamque galeam addere omisit. Si in n. 42 praeter id, quod tria capita in uno corpore conspiciuntur, arma quoque solita desideramus et Geryonem chitone magnifice exornato indutum atque clipeo gladioque solis se defendentem videmus, eiusmodi pictoris mutatio contra ceterorum artificum scriptorumque fidem nihil valet. Reliquis in vasculis semper hastis aggreditur, in Thesei metopa manu altera lapidem vibrat. Nihil invenitur, quod ad Silii Italici narrationem ab hoc ipso, ni fallor, vividis coloribus rhetorum more ornatam pertineat (Punic. XIII, 202 sqq.):

cui tres in pugna dextrae varia arma gerebant.
Una ignes saevos, ast altera pone sagittas
fundebat, validam torquebat tertia cornum,
atque uno diversa dabat tria vulnera nisu.

Hercules autem hostis impetum primo sagittis sustinet, velut in 5. 29. 30. 36. 41, metopa Thesei, tum comminus certat vel gladio usus in 6. 9. 10. 12. 16. 19. 23. 31. 37, vel clava in 4. 7. 11. 13. 14. 15. 17. 18. 21. 22. 25. 27. 29. 34. 35. 38. 40. 42, metopa Olympiaca, vel hasta etiam et clipeo in 8 (clipeum praeter clavam in 35 quoque gestat). Priusquam comminus certaretur, pugnam eminus factam esse ex illis praecipue picturis efficitur, ubi, quamquam gladium vel clavam heros adhibet, tamen sagittae missae conspiciuntur; velut in n. 6. Hercules gladio hostem adit, duae autem sagittae in adversarii corporibus haerent, una in pastoris capite. Atque similiter

sagitta in Eurytionis pectore in 21 conspicitur, cum heros clava utatur; in 40, Euphronii praeclara cylice, unam in oculo Geryonis fixam videmus, heros vero dextra ingentem tollit clavam, arcu quidem sagittisque nondum ex sinistra depositis.

Semper fere unum ex Geryonis corporibus iam labens pingitur, raro omnia impetum sustinent, velut in 22 et 27 (praeter 1 et 2). In amphora Lucana n. 39, ubi duobus corporibus superioribus unum respondet inferius, totus Geryon humi iacet altero corpore mortuo, altero hastam paululum vibrante,[81]) cum heros pedem sinistrum in hostis victi femore ponat. Quem gestum metopa quoque Olympiaca praebet: duobus hostis corporibus occisis Hercules corpora mortua atque labentia transcendens pedem ponit in femore tertii corporis in genua delapsi. Rem similem iam Homerus habet, cum viri fortes pedem corpori hostis occisi infulciant, ut hastam retrahant (Il. XVI, 503 sq: *ὁ δὲ λὰξ ἐν στήθεσι βαίνων ἐκ χροὸς ἕλκε δόρυ.* 862 sq: *δόρυ χάλκεον ἐξ ὠτειλῆς εἴρυσε, λὰξ προσβάς).* Quod in his quidem artificiis heros non hastae retrahendae causa facit, praesertim cum in utroque clavam adhibeat, sed ut nonnullis plagis hostem semimortuum plane devincat.

Atque illud etiam, quod iam amphorae Chalcidicae n. 3 pictori notum erat, heroem spoliasse hostem superatum, identidem ex his elucet picturis: etenim clipeum eius capessit in 15, hastam in 39, galeam abripere conatur in 31. 34. 38. Atque idem consilium manus fortasse eius indicat, in 6. 10. 21.

[81]) Cf. imaginis in Eurypyli scuto expressae descriptionem ap. Quint. Smyr. Posthom. VI, 249 sqq:

ἐν δὲ καὶ ἀκαμάτοιο δέμας πέλε Γηρυονῆος
τεθνεώτος παρὰ βουσί· κορήατα δ' ἐν κονίῃσιν
αἱματόεντα κέχυντο βίῃ ῥοπάλοιο δαμέντα.

37 in adversarium protenta. Praeterea autem novi aliquid addiscimus. Ut enim obiter dictum est, in Euphronii cylice n. 40 oculus ipse unius corporis sagitta transfixus est. Quae res nihil miri haberet, si in ea una pictura exstaret; sed invenitur in 41 quoque, quod hic quidem imitatione Euphronii factum esse, ut alia eiusdem picturae, iam Kleinius l. l. p. 81 probavit. Quid, quod in picturis etiam coloris atri n. 6[82]) et 29 eandem vulneris rationem videmus, et in 2 in collo, in 36 in ore sagitta infixa est, semper igitur in capite? Vix credibile videtur pictores toties sine certa causa idem vulnus praebuisse; sed multo probabilius est antiquae narrationis vestigia hic patere. Fortasse poetae eximiam herois sagittarum artem cantaverant, qui, cum reliquae corporum partes armis tutae essent, per oculos ipsos vulnera mortifera attulit. Aut dicat quispiam illa aetate sagittas Hydrae felle tinctas nondum notas atque propterea certo ictu opus fuisse. Quod multum habet probabilitatis, cum illam rem saeculo quinto antiquiorem esse pro certo probari nequeat[83]). Sin

[82]) Pottier l. l. „une des flèches d'Hercule est plantée dedans à la hauteur de l'œil"; „une flèche plantée dans le nez".

[83]) Testimonia prima exstant Eurip. Herc. fur. 419 sqq. et Soph. Trach. 574. 714 sqq. Sed iam fabula de Chironis morte ficta et ab Aeschylo Prom. vinct. 1026 sqq. saeculo quinto medio adumbrata (cf. p. 28) tela toxicata postulat. Quae nisi venenata fuissent, quomodo fieri potuit, ut vulnere insanabili deum herbarum salutarium peritissimum afficerent? Ultra autem rem persequi non possumus. Nam quod Nessi mortem iam ab Archilocho narratam (fgm. 147) et vestem, sanguine eius imbutam (primum ap. Bacchyl. carm. 16) attinet, sagittas Herculis venenatas fuisse necesse non est; per se Centauri cruor in venenum verti atque mortem efficere potuit. Accedit, quod nunquam vetustiora artis monumenta heroem sagittis, sed semper clava vel gladio Nessum petentem faciunt (cf. RML. III, p. 282 sqq.).

tamen ulterius recedat, minime necesse est putare in Geryonis quoque fabula tela venenata aliquid valuisse. Quod autem oculus ipse icebatur, Hygini narrationi: „Geryonem, Chrysaoris filium trimembrem, uno telo interfecit“ (fab. 30) aliquid antiquitatis attribuere cum Silii Italici versus nos vetant, Punic. I, 280 sqq:

„cui ponere finem
non posset mors una viro, duaeque sorores
tertia bis rupto torquerent stamina filo“,

tum vascula, quae nunquam heroem uno hostis corpore labefacto pugna desistentem praebent.

Priusquam autem ab hac fabulae parte abscedamus, singularis cuiusdam imaginis colore atro pictae mentio fiat necesse est (n. 36), quippe quae a ceteris omnibus differat. Neque enim proelium cum Geryone, ut solet, Eurytione Orthoque interfectis committitur; immo, videmus in pictura praeter Minervam a sinistra adstantem, pastorem gladio ocreisque armatum chlamyde pro scuto usum atque hastam vibrantem; ante quem Orthus tranquille in pedibus posterioribus sedet sicut canis vulgaris fictus. Porro Geryon triplex et armatus, ut solet, in dextram versus duas hastas vibrat, iam uno corpore sagitta in ore icto atque pronus labente. Denique, quod valde est mirum, post rupem, cui arbor imposita est, Hercules genibus nixus subsidet sagittam in adversarium mittens, cum pharetra ad genu eius acclinetur[84]). At nullum apud scriptores ceterosque opifices indicium habemus, quod ita rem gestam esse doceat. Qua de causa vix fieri potest, ut contra memoriam vulgarem hac una pictura commoti alteram etiam fabulae compositionem fuisse arbitremur, secundum quam Geryon

[84]) Cf. similem Achillis statum Troilo insidiantis in hydria mus. Brit. B 324, depict. Walters, Catalogue II, p. 28; Gerhard, A. V. 92; RML. III, p. 2725/26.

ante Eurytionem atque Orthum superatus sit. Plane igitur suo arbitrio pictorem fabulam commutasse intellegitur. Atqui aliquid invenitur, quod maioris momenti est, rupes. Nam Oppianus quoque non apud Athemuntem flumen, ut Apollodori fons, sed inter montes (Cyneg. II, 111/12 = Tzetz. Lyc. 651: *ἐν σκοπιῇσι*) Geryonis Herculisque pugnam factam esse profert. Cuius rei haud ignarus iam pictor huius imaginis montem exprimere studuit pugnamque cum Geryone eo transposuit[85]).

Praeter homines, quos diximus, interdum alii etiam pugnae intersunt, quorum primus Iolaus commemorandus est. Quinque vascula herois comitem exhibent, n. 14. 16. 25. 33. 40, qui plerumque ipse nihil agit et in Euphronii patera, n. 40, inscriptione *Ἰόλεος* designatur. Liquet opifices eum pinxisse, etsiamsi nescirent, num re vera in Erythea fuisset (cf. quae p. 30 explicavimus). Inter scriptores Diodorus demum comitibus herois maiorem operam navans verbis expressis eius mentionem facit (IV, 24, 4: *Ἰολάου τε τοῦ ἀδελφιδοῦ συστρατεύοντος*).

Aliter res se habet in Euphronii cylice, in qua plures etiam socios videmus. Qui pictor totam fabulam in duas partes dividens in altera vasculi parte dimidia pugnam ratione solita pinxit, in altera boves abactos. Cum vero plerumque heros ipse praedam abducat[86]), hic quattuor viri armati sex boves ita prae

[85]) Quod suspicatur Walters, Journ. of Hell. stud. XVIII, p. 298: „It may be, that the painter put in a rock here to give the idea of distance“ probabile non videtur.

[86]) Quod repraesentant vascula haec:
1. Amphora fig. atr. dep. Gerhard, A. V. 105/106.
2. Urceus „ „ mus. Etr. 1017.
3. Cylix fig. rubr. mus. Brit. E 104; coll. Durand 298.

se agunt, ut tres eorum hastis inversis gregem stimulent, quartus otiosus adstet. Ceterum boves egregie atque plane cum natura consentientes picti sunt, inter quos taurus breviore collo et brevioribus cornibus insignis frondem arboris decerpere studet, vaccarum una herbas legit, ceterae magnifice ingrediuntur vel inquiete capita retro vertunt. Inscriptiones cum praeter *ὁ παῖς (καλ)ός* et *Λέαγρος* nullae legantur, qui fuerint Herculis comites ignoramus[87]). Diodorus quidem IV, 17 sqq. magno cum exercitu in Cretam insulam coacto Herculem tribus Chrysaoris filiis, qui totius Hispaniae imperium obtinuissent et ipsi quoque magnis cum copiis appropinquassent, bellum intulisse refert. Primo autem obtutu apparet Geryonem in tres fratres diductum[88]) ab illis scripto-

4. Cylicis fig. rubr. fgm. coll. Northampton; cf. Arch. Zeitg. 1846, p. 342. Item solium Apollinis Amyclaei, cf. Paus. III, 18, 13: *καὶ Ἡρακλῆς τὰς Γηρυόνου βοῦς ἐλαύνει.* Cylicis cuiusdam fragmentum, quod Pottier, Vas. ant. du Louvre E 666 describit „Hercule emmenant le troupeau de Géryon (?)", ad taurum Cretensem spectare exposuit Hauser, Jahreshefte des österr. arch. Inst. X, 1 (1907), p. 12/13; ibid. pictura.

[87]) Liv. perioch. p. 66, 18 (O. Iahn) Balium nominat.

[88]) Cf. Dio Chrys. p. 101 (Arnim): *Γηρυόνην . . . ἀπέκτεινε καὶ τοὺς ἀδελφοὺς καὶ τὰς βοῦς ἀπήλασε*; schol. Aristid. p. 547, 9—15: *ὅτι οἱ τρεῖς ἦσαν ἀδελφοί* (schol. ed. Wilam. ind. schol. hib. Gryphisw. 1877, p. 13); Ioa. Laur. Lydus, de mens. p. 2 (Wuensch): *τρισώματον . . . ὅτι τρεῖς νῆσοι συνεμάχουν αὐτῷ*: Serv. Aen. VII, 662: Geryones . . . qui ideo trimembris fingitur, quia tribus insulis praefuit . . . fingitur etiam bicipitem canem habuisse, quia et terrestri et navali certamine plurimum potuit = Myth. Vat. I, 68. II, 152. III, 13, 6: Trog. Pomp. 44, 4, 15—16: Geryonem ipsum non triplicis naturae . . . fuisse ferunt, sed tres fratres tantae concordiae, ut uno animo omnes regi viderentur.

ribus inventum esse, qui res mirabiles in fabulis exstantes ratione explicare et absurdas ostendere studebant. Quod interpretandi genus iam ab Hecataeo[89]) et Pherecyde profectum Euhemeri imprimis aetate saec. III. a. Chr. floruisse notum est. Tum igitur tres illi reges Hispaniae ex triplici Geryone deducti sunt, ad quos superandos magno exercitu opus erat. Qua de causa fieri non potest, ut iam Euphronio saec. VI. exeunte florenti eiusmodi amplificationis notitiam attribuamus. Sed optime res a Roberto, Bild und Lied p. 85/86 explicatur, qui ostendit, pictores inde a figurarum rubrarum aetate in singulis unius vasculi lateribus aut eundem mythum exprimere consuevisse, aut unam fabulam in complures imagines diducere. Qua re compositionis traditae amplificatio hominibus atque figuris novis additis per se fere efficiebatur. Nihil igitur aliud milites in Euphronii patera significant, nisi quod pictor spatii explendi atque picturae exornandae causa pluribus hominibus egebat.

Denique, ut mittam, quod saepe Minerva (cf. n. 2—4. 8. 12. 16. 18. 22. 25. 28. 30. 31. 33—40), interdum Mercurius (n. 14. 28. 31. 39. 42), semel Iris (41), semel Victoria (39) conspicitur, feminae cuiusdam mentio fiat necesse est, quae in vasculis 4. 22. 33. 35. 37. 40. 41 occurrit, plerumque alteram manum protendens, altera frontem suam attingens, in n. 41 prope bovem ingrediens, velutsi extra periculum eum agere velit. Quamquam nomen eius nunquam adscribitur[90]), Erythea, insulae nympha, in-

[89]) Cf. fgm. 346, FHG I, p. 27, ubi Cerberus anguis venenatus fuisse fertur.

[90]) Cf. Furtwaengler-Reichhold, Gr. Vasenmalerei, p. 102: „Hätte der Maler (Euphronios) einen Namen für die

tellegi solet; recte, ut censeo[91]); nam quomodo illa Erythea, quae Geryonis filia fuisse[92]) et ab heroe una cum armentis abducta esse dicitur[93]), iam vasculorum aetate cum fabula coniuncta sit, minime apparet.

Sed de pugna in insula hucusque. Ut initio dictum est, non proelium solum, sed navigatio etiam in Erytheam et quod cum illa cohaerebat a poetis pictoribusque tractatum erat. Cum Hesiodus brevissime eam memoret verbis: *διαβὰς πόρον Ὠκεανοῖο* (Theog. 292) in dubio relinquens, quonam modo id effecerit heros, iam Stesichorus cantaverat, in Solis poculo, quo ipse ab occidente in orientem transvehi soleret. Habemus praeter Athenaei testimonium[94]) versus poetae ipsos, quibus Sol describitur poculo recepto in orientem vehens, cum heros labore peracto ex insula reversus in silvam continentis terrae intret. Locus est hic:

Frau gewusst, hätte er ihn sicher hergesetzt, indem er ja diejenigen Figuren sogar benannte, die jeder sofort erkennen musste."

91) Loci nympha in aliis quoque laboribus adest, velut in luctatu cum leone (Mon. d. Inst. VI—VII, tab. 27 A), in Antaei pugna (Wiener Vorlegebl. I, 4), apri venatu (ibid. I, 7), aliisque.

92) Paus. X, 17, 5; Steph. Byz. s. v. Erythea.

93) Res valde incerta est et nititur solum inscriptione mutilata ap. Aristot. Mirab. ausc. cap. 133 (p. 843b Bekker): *Γηρυοείας ἀγέλας ἐλάων ἠδ' Ἐρύθειαν ἄγων.* Altero loco, Myth. Vat. I, 68, p. 23 (Bode): „Hercules . . . primum canem Orthrum interfecit et Ithimiam, filiam eius, deinde Eurytionem pastorem, filium Martis, novissime ipsum Geryonem interfecit. Et sic victor armenta eius in Graeciam adduxit," R. Schoene (Annal. 1869, p. 248,1) mutavit „et Ithimiam filiam eius" in „et Erythiam, filiam eius" et posuit post „armenta eius".

94) XI, 781 A: *τὸν δὲ Ἥλιον ὁ Στησίχορος ποτηρίῳ διαπλεῖν φησι τὸν Ὠκεανόν· ᾧ καὶ τὸν Ἡρακλέα περαιωθῆναι ἐπὶ τὰς Γηρυόνου βόας ὁρμῶντα.*

ἄμος δ' Ὑπεριονίδας δέπας ἐσκατέβαινεν
χρύσεον, ὄφρα δι' Ὠκεανοῖο περάσας
ἀφίκοιθ' ἱερᾶς ποτὶ βένθεα νυκτὸς ἐρεμνᾶς
ποτὶ ματέρα κουριδίαν τ' ἄλοχον παῖδάς τε φίλους,
ὁ δ' ἐς ἄλσος ἔβα
δάφναισι κατάσκιον ποσὶν παῖς Διός.[95])

Opinio, Solem cursu per caelum finito nocte per Oceani fluctus poculo ad orientem renavigare nihil novi habebat et ab antiquissimis temporibus inter Graecos constabat,[96]) item, atque apud Aegyptios, qui solem lunamque naviculas aureas esse sibi persuaserant, quibus cotidie dei luciferi undas transnarent.[97]) Sed Herculis quoque per Oceanum navigatio perantiqua videtur esse, si licet, cum Furtwaenglero[98]) putare illam Herculis imaginem, quam a Tyro ad Erythras rati transnasse Pausanias VII, 5, 5 narrat, et cuius effigiem nummi aetate Titi ac Domitiani cusi praebent[99]), ubi heros plane nudus in rati stans

95) Athen. XI, 469 E: *ὅτι δὲ καὶ ὁ Ἥλιος ἐπὶ ποτηρίου διεκομίζετο ἐπὶ τὴν δύσιν Στησίχορος μὲν οὕτως φησίν: ἄμος — Διός.* cf. Bergk[4] fgm. 8.

96) Testimonium vetustissimum Athenaeus XI, 470 B ex Titanomachia servavit, ubi deus *ἐπὶ λέβητος* navigat. Tum praeter Stesichorum saepius poetae argumentum tractaverant, velut Mimnermus, qui lintrem sicut aureum lectum alis instructum sibi finxerat (*εὐνὴ κοιλὴ ὑπόπτερος* Bergk[4] fgm. 12); atque simili modo cantaverant Aeschylus Heliad. fgm. 4 (Nauck[2]), Heraclid. fgm. 74; Antimachus (Bergk fgm. 4), aliique (cf. infra p. 60 sq). In cymba pisci simili ad litus eum appulsum una cum quadriga lunaeque dea vasculum ostendit depict. Annal. d. Inst. 1852, b. 24 tav. d'agg. F 3.

97) cf. Heyne, Observ. ad Apd. p. 162; Wiedemann, Religion der alt. Ägypter, p. 13 sq; Usener, Sintflutsagen p. 130.

98) RML. I, 2138.

99) Depict. RML. I, 2138. Courbaud, Mél. d'archéol. et d'hist. XII, 1892, p. 274 sqq. imitationem imaginis illius Erythrensis scarabaeum quendam exhibere suspicatur, ubi heros

et mare transvehens conspicitur, exemplum vetustissimum herois in Solis poculo navigationis esse. At Stesichorus primus est, quem cum itinere in Erytheam mythum illum coniunxisse et heroem a Sole poculum mutuantem fecisse comperimus.

Apud Pisandrum Oceanus etiam adest, neque Sol ipse, sed hic naviculam heroi tradit, quoniam legimus Athen. XI, 469 C (= Kinkel, Ep. Gr. Fgm. p. 251, 5): *Πείσανδρος ἐν δευτέρῳ Ἡρακλείας τὸ δέπας, ἐν ᾧ διέπλευσε ὁ Ἡρακλῆς τὸν Ὠκεανὸν εἶναι μέν φησι Ἡλίου, λαβεῖν δ' αὐτὸ παρ' Ὠκεανοῦ Ἡρακλέα.*

Oceani vero in locum apud Panyassidem Nereus intraverat[100]), quod iterum Athenaeo debemus, qui refert XI, 469 D (= Ep. Gr. Fgm. p. 256, 7): *Πανύασις δ' ἐν πρώτῳ Ἡρακλείας παρὰ Νηρέως φησὶ τὴν τοῦ Ἡλίου φιάλην κομίσασθαι τὸν Ἡρακλέα καὶ διαπλεῦσαι εἰς Ἐρύθειαν.* Praeterea autem Panyassis finxerat heroem arcum in solis deum intendisse, quod servatum habemus apud Clem. Alex. Protr. p. 27, 7 (Staehlin) = Ep. Gr. Fgm. p. 256, 6: *Ναὶ μὴν καὶ τὸν Ἀιδωνέα ὑπὸ Ἡρακλέους τοξευθῆναι Ὅμηρος λέγει καὶ τὸν Ἥλιον αὐτὸν Πανύασις ἱστορεῖ.* Itaque apparet, si non prius, Panyassidis certe aetate notum fuisse, quod postea Apollodorus (II, 5, 10, 5) exposuit

nudus in rati prostratus, quae sex amphoris oblique compositis portatur, clava pro remis utitur et sinistra velum inflatum tenet; post tergum eius arcus conspicitur. (Imagines similes in speculis Etruscis dep. Gerhard, Etrusc. Spiegel III, 257, e. IV, 398). Sed vix Courbaud recte iudicavit, cum naviculam tam singularem Pausanias non facile verbis *σχεδία γὰρ ‹ἦν› ξύλων* memorasset.

[100]) Stesichorus quoque de Nereo cantaverat (cf. Keller, rer. nat. script. p. 110: *παρ' Ὁμήρῳ Πρωτεὺς εἰς πάντα μεταμορφοῦται καὶ Θέτις παρὰ Πινδάρῳ καὶ Νηρεὺς παρὰ Στησιχόρῳ καὶ Μήστρα . . .*); num vero in Geryoneide, ut censet Wilamowitz. Herakl.[2] p. 23 adnot. 45, minime constat.

verbis: *θερόμενος δὲ ὑπὸ Ἡλίου κατὰ τὴν πορείαν τὸ τόξον ἐπὶ τὸν θεὸν ἐνέτεινεν· ὁ δὲ τὴν ἀνδρείαν αὐτοῦ θαυμάσας χρύσεον ἔδωκε δέπας, ἐν ᾧ τὸν Ὠκεανὸν διεπέρασε.*

Quae res ex scriptorum libris iam notae firmantur atque amplificantur duobus vasculis atri coloris et saeculi quinti. Quorum alterum[101]) Solem praebet eo ipso momento, quo mari emergit. Deus barbatus, longo vestimento indutus, duo spicula tenens in curriculo stat duobus equis pennatis iuncto. Caput, supra quod solis orbis pendet, in partem vertit sinistram, unde Hercules, ut solet ornatus, appropinquat, sinistra arcum longe protendens, dextra ingentem clavam contra deum vibrans. Praeterea Minerva conspicitur galea hastaque armata. Rem in maris litore geri fluctus ostendunt infra adumbrati.

Quae pictura, praeterquam quod impetum ab heroe in Solem factum esse confirmat, aliquid novi neque per scriptores memoriae traditum docet, hoc, deum ipsum subito mari emergentem in conspectum venisse sermonemque cum heroe contulisse. Certe inopinatus Solis magno cum splendore adventus magnifice a poetis celebratus erat. Cave autem credas, quod facile ex pictura concludas, adventum ante impetum fuisse; immo, herois audacia demum adductus est deus, ut caelo descenderet. Pictor autem, quod saepissime in arte antiqua occurrit, res tempore seiunctas in unum contraxit (cf. p. 46). Nusquam in pictura poculum conspicitur, quod ut donaret Solem descendisse suspiceris; itaque opificem eam fabulae compositionem secutum esse censeo, quae, sicut Pisander et Panyassis, non Solem ipsum, sed Oceanum

[101]) Depict. ap. Stackelberg, Graeber der Hellenen, tab. 15, 5; RML. I, 1995; Gerhard, Ges. acad. Abhdlg. tab. V, 5.

vel Nereum Sole iubente naviculam heroi attribuentem faceret.

In altero vasculo[102]), cum Solis effigies nihil differat a priore et spiculis tantum careat, Hercules in rupe in medio mari subsidet chitone pelleque vestitus et arcum pharetramque in tergo gestans; dextram stupens et admirans dei splendidum adventum tollit, sinistra cunctante clavam tenet. Infra fluctus et pisces conspiciuntur.

Pictura impetum herois omnino neglegens eo clarius illustrat, quanto cum splendore Sol subito emerserit, ita, ut heros perterritus atque admiratione affectus concideret fere. Sed hic quoque, cum Solis poculum nusquam pictum sit, postea id a deo quodam marino traditum esse necesse est[103]).

Quae Oceani vel Nerei cum fabula coniunctio amplificationis cuiusdam causa fuisse videtur a Pherecyde servatae aut inventae. Etenim legimus apud Athen. XI, 470 C (HGF. I, 80, 33 h): *Φερεκύδης ἐν τῇ τρίτῃ τῶν ἱστοριῶν προειπὼν περὶ τοῦ Ὠκεανοῦ ἐπιφέρει· ὁ δ' Ἡρακλῆς ἕλκεται δ' ἐπ' αὐτὸν τὸ τόξον ὡς βαλών, καὶ ὁ Ἥλιος παύσασθαι κελεύει. ὁ δὲ δείσας παύεται. Ἥλιος δὲ ἀντὶ τούτου δίδωσι αὐτῷ τὸ δέπας τὸ χρύσεον, ὃ αὐτὸν ἐφόρει σὺν ταῖς ἵπποις πρὸς ἑῴην, ἵν' ἀνίσχει ὁ Ἥλιος· Ἔπειτα πορεύεται Ἡρακλῆς ἐν τῷ δέπαϊ τούτῳ εἰς τὴν Ἐρύθειαν. καὶ ὅτε δὲ ἦν ἐν τῷ πελάγει, Ὠκεανὸς πειρώμενος αὐτοῦ κυμαίνει τὸ*

[102]) Lecythus Atheniensis. cf. Collignon et Couve, Catalogue des vases peints du musée national d'Athènes, Paris 1902 n. 900; dep. Journ. of Hell. stud. XIX, 1899, tab. IX.

[103]) Savignoni interpretationem (Journ. of Hell. stud. XIX, p. 266), heroem Soli insidiari, ut, si emergentem eum viderit, armis petat, propterea, quod antea ab eo ustus sit, improbo. Undenam sciebat deum adventurum esse? Aut quae Soli causa erat descendendi, impetu nondum facto? Praeterea Hercules aperte paventis habet speciem.

δέπας φανταζόμενος· ὁ δὲ τοξεύειν αὐτὸν μέλλει· καὶ αὐτὸν δείσας Ὠκεανὸς παύσασθαι κελεύει.

Si quis in litteris haeret, facile putaverit verba *ὁ δ' Ἡρακλῆς ἕλκεται* sqq. ad Oceanum referenda esse, cum proxime antecedat: *προειπὼν περὶ τοῦ Ὠκεανοῦ*. Quod si esset, novam fabulae compositionem haberemus, secundum quam non in Solem, sed in Oceanum impetus fieret atque is duplex.[104]) Tamen Athenaeum minus accurate scripsisse censeo, et verba *ὁ δ' Ἡρακλῆς ἕλκεται* sqq. non Oceanum, sed Solem spectare. Verisimile est narravisse Pherecydem praeter Oceani litus heroem migrasse, cum impetum in Solem faceret, qua re Athenaeus, ut scriberet *προειπὼν περὶ τοῦ Ὠκεανοῦ* adductus est. Nam sic, ut traditur locus, Sol subito commemoratus ad conexum minime quadrat: praeterea post „*ὁ δὲ τοξεύειν αὐτὸν μέλλει*" particulam *αὖθις* vel similem vocem exspectaremus; denique vix verisimile est bis deinceps scriptorem Oceani insidias protulisse.

Quod quidem narrat Pherecydes in itinere maris deum poculum fluctibus iactasse visibili specie apparentem, ea in re vestigia veteris narrationis inesse videntur. Certe navigatio periculis non carebat,[105]) quod lucide ex duobus vasculis huc pertinentibus colligitur. Iam diu nota est cylix illa mus. Greg. II,

[104]) Sic Luetke, Pherecydea (Diss. Gotting. 1893) p. 42/43: „Oceanus (qui, ut fingere nobis possumus, tempestatibus excitatus Herculem quin transeat impedire conatur), ab Hercule sagittis petitur."

[105]) Leutschius in Erschii et Gruberi Encycl. s. v. Geryoneis suspicatus est ad Sarpedoniam, Gorgonum insulam, heroem delatum esse, cum exstet schol. Apoll. Rhod. I, 211: *Στησίχορος δὲ ἐν τῇ Γηρυονηίδι καὶ νῆσόν τινα ἐν τῷ Ἀτλαντικῷ πελάγει Σαρπηδονίαν φησί* (Bergk[4] fgm. 10).

78, 1 b. saec. V. colore rubro picta,[106]) ubi magno in cyatho heros inest, leonis pelle supra caput subducta, in umero dextro clavam gestans et manu sinistra arcum portans. Vultus autem intenti indicant, non tutum se vehi eum putare, sed periculum suspicari. Nuper alterum vasculum accessit, lecythus atri coloris, quam Hartwig, Roem. Mitt. XVII, 1902 tab. 5 iuris publici fecit: Herculem in poculi eiusdem formae margine sedentem videmus et fluctus transvehentem. Pedes extra dependent; omnibus quibus solet armis ornatus est. Caput autem retro versum summam ostendit exspectationem, quae augetur etiam manu sinistra, quam stupens atque verens tollit, clava, quam dextra tenet paratam ad pugnandum, pede sinistro paululum reducto ac sublato. Qua in pictura Herculis gestus tales sunt, ut statim appareat, magno cum angore eum undas transvehi et re post tergum subito accidente adductum esse, ut caput verteret armaque pararet. Quid autem melius eam rem explicat, quam si Oceanum ipsum insidias ei parasse putamus? Cum lecythus usque ad saeculum VI. recedat (cf. Hartwig l. l. p. 109), veteris memoriae pictura partem servavit.

Sed hucusque de Herculis in Solis poculo navigatione. Scriptores recentiores iterum atque iterum eius mentionem faciunt. Sic Apollodorus l. c. reditum quoque ex insula in continentem terram una cum bobus in eodem poculo factum esse memorat, cum Pausanias III, 16, 5 ab Italia in Siciliam eiusmodo vehiculo Herculem transisse fabuletur.[107]) Eu-

[106]) Depict. Gerhard, A. V. 109. Ges. acad. Abhdlg. tab. V, 4; RML. I, 2204.

[107]) Ex *κατὰ τὸν ἕλεον τὸν σκῦφον*, ut traditur, recte Kuhn et Clavier in edd. emendaverunt *κατὰ τὸν Ἥλιου σκύφον*.

docia p. 341 sqq. (ed. Flach) Scyllam Charybdidemque ita praetervehentem eum finxit; lebetem ex aere factam Alexander Ephesius memorat (Meineke, Anal. Alex. p. 371 sqq.), lintrem aeneum Euphorio apud Eustath. ad Dionys. Perieg. 558. Velut „navem fortem et aere munitam“ Serv. Aen. VII, 662 „ollam aeream“ sibi finxit (= Myth. Vat. I, 68. II, 152. III, 13, 6), qua „tergo leonis velificans“ (VIII, 300) transvectus sit. Denique in itinere ad Hesperides facto iterum Solis cymbio utentem eum videmus apud Apollodorum II, 5, 11, 9, schol. Apoll. Rhod. IV, 1396, Serv. Aen. VIII, 300. Quanta ex materia quid antiquitatis auctoritatem habeat vasculorum pictorum auxilio satis explanavimus.

Pars III.

De Cerberi raptu.

Duodecim laborum, quos dodecathlus amplectitur, mirum, quod unus tantum in Homeri carminibus occurrit, herois ad inferos descensus, atque is etiam locis recentioribus. In Necyia enim, quae dicitur, Herculis umbra apud Ulixem mortuos adlicientem de laboribus, quibus perfunctus sit, queritur sic:

(λ 621—626) *μάλα γὰρ πολὺ χείρονι φωτί*
δεδμήμην, ὁ δέ μοι χαλεποὺς ἐπετέλλετ' ἀέθλους.
καὶ ποτέ μ' ἐνθάδ' ἔπεμψε κύν' ἄξοντ'· οὐ γὰρ ἔτ' ἄλλον
φράζετο τοῦ δέ γέ μοι χαλεπώτερον εἶναι ἄεθλον.
τὸν μὲν ἐγὼν ἀνένεικα, καὶ ἤγαγον ἐξ Ἀΐδαο.
Ἑρμείας δέ μ' ἔπεμψεν ἰδὲ γλαυκῶπις Ἀθήνη.[108])

Quo accedunt versus Θ 367—369, quibus Minerva

[108]) Versus saec. VI. Odysseae adiectos esse probavit Wilamowitz, Hom. Untersuch. p. 206 sq; cf. Herakl.[2] p. 56 adnot. 99.

Iovem de beneficiis suis in Herculem collatis commonefacit dicens:

εὖτέ μιν εἰς Ἀίδαο πυλάρταο προὔπεμψεν
ἐξ ἐρέβευς ἄξοντα κύνα στυγεροῦ Ἀίδαο·
οὐκ ἂν ὑπεξέφυγε Στυγὸς ὕδατος αἰπὰ ῥέεθρα.

Pauca igitur et quae ad rem nihil prope afferant comperimus: Eurysthei servitio coactus heros cum alios labores, tum ad inferos iter periculosissimum subiit[109]) et Minerva Mercurioque comitantibus feliciter canem ad lucem transportavit. Quemadmodum autem Ditem Proserpinamque adierit, aut qua ratione cane potitus quibusve periculis perfunctus sit, non nisi adumbratur versu Θ 369, ubi pro omnibus Orci terroribus Stygis solae rapidae undae nominantur.

Neque vero desunt, qui cum Cerberi raptu illos versus notissimos coniugant,[110]) quibus rex inferorum ipse ab heroe in umerum sagitta vulneratus esse traditur. Ecce poetae verba *E* 395—397:

τλῆ δ' Ἀίδης ἐν τοῖσι πελώριος ὠκὺν ὀιστόν,
εὖτέ μιν ὠὐτὸς ἀνήρ, υἱὸς Διὸς αἰγιόχοιο,
ἐν πύλῳ ἐν νεκύεσσι βαλὼν ὀδύνῃσι ἔδωκεν,

ubi *πύλῳ* pro *πύλῃ* poetam usurpasse viri docti, quos

[109]) Quod Eurystheus hoc mandato difficilius nullum habebat, iam illis temporibus ad inferos descensum ultimum laborem putatum esse intellegitur, quo exacto herois servitus finiretur. Si recte se habet, quod exposuit Wil. Herakl.² I, p. 56. 61 (cf. edit. prim. I, p. 304), descensu ad inferos herois victoriam mortis, expeditione ad Hesperides suscepta ascensum in caelum significari, quare huic labori ultimus cycli locus, illi paenultimus debeatur, sicut inveniatur in tabula Albana, Apollodori bibliothecae vetustiore compositione (cf. Bethe, Quaest. Diod. 43), apud Diodorum IV, 26, certe versuum, quos exscripsi poetae talem fabulae vim non iam notam fuisse concedendum est.

[110]) Preller, Gr. Myth.³ II, 240; Welcker, Gr. Götterlehre II, 761. 776; Ameis, Anhang z. Ilias E. 397, alii.

dixi, cum Aristarcho[111]) contendunt. Sed valde est mirum, quod Homerus, quamvis saepe illius substantivi adhibendi facultatem haberet, nusquam alias usus est eo semperque genus femininum posuit. Propterea plerique[112]), qui in studiis Homericis versati sunt, v. 397 legentes sic: *ἐν Πύλῳ ἐν νεκύεσσι βαλὼν ὀδύνῃσι ἔδωκεν*, tum Plutonem ab Hercule sauciatum esse interpretantur, cum contra Neleum Pylium arma ferret[112a]). Accedit, quod tribus versibus ante (E 392—94) de Iunone agitur, Herculis sagitta sub pectus icta, quod ante Pylum accidisse traditum habemus[113]). Ibi igitur multis hominibus occisis humique iacentibus rex etiam mortuorum proelians atque ex infernis *(ἐν νεκύεσσι)* Neleo opitulans sagitta herois in umerum vulneratur. Opponit poeta et mortuos, et dominum mortuorum, cui idem fere atque illis acciderit[114]).

[111]) schol. Townl. *E* 397: *Ἀρίσταρχος „πύλῳ" ὡς χόλῳ καὶ ἐσπέρῳ.* cf. schol. Vent. *A* ad *E* 397; schol. *ξ* 318.

[112]) Bekker, Christ, Dindorf, Ludwich, Nauck in Iliadis quas curaverunt editionibus.

[112a]) Item Apd. II, 7, 3; Pind. Ol. IX, 44 sqq. (ed. Schroeder) praeter Plutonem et Neptunum et Apollinem Pyliis contra Herculem adfuisse tradit; schol. Venet. A ad E 392 Neleo Neptunum, Iunonem, Plutonem, Herculi Minervam et Iovem socios attribuit. Hom. Λ 690 sqq. deos auxiliantes nullos memorat.

[113]) Panyass. fgm. 20; schol. Townl. E 392; Arnob. adv. gent. IV, 25.

[114]) Gruppe, Gr. Myth. p. 154; Düntzer, duas sententias conglutinans in Iliadis, quam curavit, editione ad v. 397 adnotat: „Auch in Pylos wurde wohl einer der vielen Eingänge zur Unterwelt angenommen . . . Herakles verwundete den Hades in diesem Ausgange der Unterwelt, als er ihn verfolgen wollte, wohl bei der Heraufholung des Cerberus." Similiter H. D. Mueller, Myth. d. gr. Staemme I, p. 156 sqq. Sed quamquam mythographi varia loca tradunt, quibus Hercules cum Cerbero ad lucem ascenderit, Pylus nusquam affertur (cf. p. 94).

Qua de causa, quamquam versus eos ad fabulam, de qua agitur, restituendam adhibere non licet, tamen vasculi cuiusdam auxilio lucide cognoscitur, quomodo heros in antiquissima fabulae compositione deos infernos adierit. Quod argumentum opifices saepissime pinxerunt, quoniam usque ad hunc diem non minus quinquaginta tria vasa fictilia novimus Cerberi raptum illustrantia, quae vetustioribus nonnullis indicibus[115]) usus quinque novis picturis additis rursus enumeravi[116]).

---

[115]) Gerhard, A. V. II, p. 156 adnot. 23; p. 157 adnot. 24; Conze, Annal. d. Inst. 1859, p. 405 adnot. 2; Schneider, Die Zwölfkämpfe des Herakles. Diss. Lips. 1888; Walters, Journ. of Hell. stud. XVIII, 1898, p. 196/97.

[116]) Index:

I. Vasc. fig. atr.

A. Domus Plutonis architectura significatur:

1. Scyphus Argi repert. dep. Arch. Zeitg. 1859, tab. 125; RML. II, 1121/22.
2. Amphora Aeginae reperta nunc in mus. Brit. servata; dep. Journ. of Hell. stud. XVIII, 1898, p. 295.
3. Amphora Corneti repert. nunc Moscoviae servata; descr. Bull. d. Inst. 1859, p. 131; Arch. Jb. 1893, p. 158.
4. Amphora Neapolitana S. A. 267; dep. Arch. Jb. 1893, p. 157.
5. Amphora mus. Greg. II, 46; cf. Helbig, Führer.[2] p. 300, n. 1218.
6. Amphora coll. Campana IV, 507.
7. Amphora coll. Basseggio; delineatio in apparatus musei Berol. mappa XII, 10; laudata a Furtwaenglero RML. I, 2205.

Huius picturae a Gerhardo allatae, a Schneidero Waltersioque neglectae vir humanissimus Dr. Koesler musei Berolinensis administratione concedente imaginem photographicam benigne mihi paravit, ex qua Gerhardi descriptionem nimis tenuem suppleo: Proserpina intra Orci portas columna Dorica trabibusque significatas manu dextra ramum tenens et sinistram tollens ad Mercurium caput vertit, qui, ut solet ornatus, deam respicit. Ante eos Cerberus duobus capitibus caudaque anguinea instructus conspicitur. Hercules au-

Atque iam antiquissimum eorum, scyphum generis vetustioris Corinthii, n. 1. qui, ipse iterum

---

tem chitone pelleque vestitus timide ad canem accedit sinistra catenam vinciendi causa protendens, dextra in clava nitens, quae ei stupescenti elabitur fere.

8. Amphora Vulc. repert. Berol. 1880. Huius amphorae imago in apparatus mus. Berol. mappa XII, 9; cf. Furtwaengler, RML. I, 2205.
9. Amphora coll. Panckoucke n. 68.
10. Hydria Wirzeburgensis III, 135 (catal. cur. Urlichs); dep. Gerhard, A. V. I, 40.
11. Hydria Vulc. repert. coll. principis de Canino; descr. Bull. d. Inst. 1840, p. 124.
12. Hydria dep. Gerhard, A. V. II, 131.
13. Pelice ex Magna Graecia, olim coll. Durand 310, tum Panckoucke 412.

B. Inferorum sedes non adumbratur:

14. Amphora Monac. 153; depict. Inghirami, Vas. fitt. 136.
15. Amphora Monac. 1206.
16. Amphora Berol. 1828.
17. Amphora Rhodi eruta, in mus. Louvre A 481; depict. Pottier, Vas. ant. du Louv. tab. 18.
18. Amphora in mus. Louvre F 34; dep. Pottier, l. l. tab. 66.
19. Amphora ibid. F 228; dep. Pottier, l. l. 80.
20. Amphora Petropolitana 122.
21. Amphora Wirzeburgensis III, 250; dep. Gerhard, A. V. 97, 3.
22. Amphora Corneti reperta et servata; descr. Bull. d. Inst. 1878, p. 178.
23. Amphora Vulc. repert. coll. Durand 309; dep. Gerhard, A. V. II, 129.
24. Amphora Caere repert. coll. Castellani; descr. Bull. d. Inst. 1865, p. 145.
25. Amphora coll. Depoletti; cf, Gerhard, A. V. II, p. 156, 23 g.
26. Amphora coll. Candelori; delineata in apparatus mus. Berol. mappa XII. Huius quoque picturae scientiam accuratiorem Dr. Koeslero debeo: Hercules chitone pelleque vestitus et clavam prae pectore tenens Cerberum laqueo vinctum abducit; canis, qui a n. 7. nihil differt, alterum caput demittens tranquille se

fractus atque comminutus, cum Hydrae proelium, tum Cerberi raptum exhibebat, accuratius inspicia-

agi patitur. A tergo Mercurius sequitur sedans sinistram contra caudae anguem vibrantem protendens, cum Minerva a latere incedat Mercurium respiciens.

27. Amphora Volsiniis reperta; descr. Annal. d. Inst. 1877 p. 125.
28. Amphora Clusii repert; dep. Inghirami, Vas. fitt. I, 40.
29. Amphora dep. Gerhard, A. V. II, 130.
30. Amphora descr. Gerhard, A. V. II, p. 156, 23k.
31. Amphora dep. Roem. Mitt. 1898, p. 86.
32. Hydria coll. Basseggio; descr. Bull. d. Inst. 1847, p. 98.
33. Hydria coll. Campanari; cf. Gerhard, A. V. II, p. 156, 23 b.
34. Hydria Neapolitana 3378. (Heydemann.)
35. Cylix (Xenoclis) Vulcis repert. coll. Durand 65; dep. R. Rochette, Mon. inéd. tab. 49.
36. Cylix Toscaniae rep; descr. Bull. d. Inst. 1839, p. 74.
37. Lecythus Caere rep. coll. Castellani; descr. Bull. d. Inst. 1869, p. 250.
38. Lecythus Atheniensis 908. (Collignon-Couve).
39. Pyxis „ 838.

C. Heros canem ad Eurystheum apportat, qui dolio se condit:

40. Hydria Caere reperta, nunc musei Louvre E 701; depict. Mon. d. Inst. VI, 36; Daremberg-Saglio, Dict. fig. 3771.
41. Hydria Caere reperta coll. Castellani; descr. Bull. d. Inst. 1869, p. 249.

II. Vasc. fig. rubr.

A. Domus Plutonis in pictura exstat:

42. Amphora Monac. 406; cf. Arch. Jb. 1893, p. 158.
43. Amphora (Andocidis) Vulc. reperta, nunc musei Louvre F 204; dep. Pottier, l. l. tab. 78; American Journal of Archæology (1896) XI, p. 15; coll. Durand 311.
44. Cylix Vulc. repert. nunc Altenburgi servata; descr. Bull. d. Inst. 1842, p. 30; Arch. Zeitg. 1854, p. 500; depict Arch. Jb. 1893, p. 163.

B. Inferorum sedes desideratur:

45. Cylix Wirzeburgensis III, 359; dep. Arch. Jb. 1893, p. 162; cf. Bull. d. Inst. 1865, p. 50.
46. Cylix Berol. Inv. B 232; cf. Arch. Jb. 1893, p. 165; depict. ibid. tab. II.

mus[117]): Figurae in sufflava vasis superficie colore subrufo pictae sunt. Prope ostium domus Plutonis columna Dorica a dextra significatae Cerberus prosilit unicum caput vultu perterrito ad Herculem revertens; pro capitum multitudine, quae plerumque eum ornat, pictor sex anguibus corpus circumvallavit, qui hic et illic lambentes exsuperant, cauda post Mercurii figuram latente. Deorum nuntius autem Cerberi a sinistra pictus manum in Herculem pro-

47. Cylix Neapolitana coll. Bourguignon; dep. Arch. Jb. 1893, p. 160.

III. Vascula Apulica infernorum imagines exhibentia:

48. Amphora Canusii repert. Monac. 849; dep. Wien. Vorl. E 1; Arch. Zeitg. 1843, tab. 12; Mueller, Alte Denkm. I, 56, 275; Furtwaengler-Reichhold, Griech. Vasenmalerei, tab. 10; Baumeister, Denkm. fig. 2042; RML. I, 1326.
49. Amphora Rubis reperta, quae est nunc Caroliruhae 388; depict. Wien. Vorl. E 3, 1; Mon. d. Inst. II, 49; Arch. Zeitg. 1843, tab. 11.
50. Amphora Armenti repert. nunc Neapol. S. A. 11; dep. Wien. Vorl. E 6, 5; Arch. Zeitg. 1867.
51. Amphora Armenti rep. nunc Neapol. S. A. 709; dep. Wiener Vorl. E 3, 2.
52. Amphora Altamurae repert. nunc Neapol. 3222; Wien. Vorl E 2; Mon. d. Inst. VIII, 9; Baumeister, Denkm. fig. 2042 A.

IV. Vas ornatum imagine ectypa:

53. Celebe Berol. 2882 Teneae reperta; dep. Furtwaengler, Samlg. Sabouroff I, 74.

[117]) Ratione pingendi proxime accedit ad Timonidae lagoenam, quae Achillem ostendit Polyxenae aquam haurienti insidiantem; cf. Collignon-Couve, Catal. des vas. peints du mus. national d'Athènes (Paris 1902) n. 620; Wien. Vorlegebl. 1888, tab. I, 1; RML. III, 2724; Athen. Mitt. 1905, tab. VIII; ad Centaurorum proelium in scypho Corinthio depictam, nostri indicis n. 1; ad Hydrae pugnam celebris aryballi Vratislaviensis; cf. O. Rossbach, Griech. Antiken des archäolog. Museums in Breslau, p. 5. 16.

tendit, tamquam si eum retinere velit; nam heros, barbatus, omnino nudus, pharetram in umeris gestans lapide Plutonem Proserpinamque aggreditur, cum manus eius dextra arcum protendat. Perterritus inferorum rex, quem facile sceptro, quod avis ornat, cognoscas, in fugam se praecipitat; Proserpina vero e solio, in quo sederat, resurgens tranquille advenam audacem adspicit, qui lapidem ei intentat.

Quae pictura plurimi nobis aestimanda est, cum vetustissimam fabulae formam ex ea discamus: Heros Mercurio comitante — Minervam pictor omisit — prospere Plutonis domum intravit praeter arcum nulla arma secum gerens. Statim Cerberus, portarum custos, eos aggreditur neque prius recedit, quam heros lapidibus humo arreptis eum lassavit et in fugam proiecit. Sic optime illud telum insolitum in manu eius intellegitur[118]), quoniam hodieque homines contra canes lapidibus utuntur; sic fuga quoque Cerberi et angor in figura eius manifestus[119]). Arcum autem adhibere Herculi non licebat, cum non laedere aut necare, sed abducere canem iussus esset. Neque etiam clava praesto erat; quae quamquam iam illa aetate interdum ei addebatur, tamen non ut postea pars necessaria eius ornatus putabatur et poetis veteribus epicis haudquaquam usitata erat (cf. RML. I, 2138). Restabat igitur nihil, nisi lapides humi iacentes.

---

[118]) Lapides contra Hydram iactat in vasculo depict. Heydemann, Gr. Vasenb. tab. 4.

[119]) Wide, Lakonische Kulte (Lips. 1893), p. 18 suspicatur, narrationi, quae Oeonum, Herculis sobrinum, lapide Hippocoontis canem Spartae necavisse tradit (Apd. II, 7, 3,3. Clem. Alex. Pr. p. 31 et schol. p. 107), eandem quondam vim fuisse, quae Herculis cum Cerbero pugnae. Si recte se habet eius sententia, — dissidet Wilamowitz Herakl.[2] I, p. 29 — alterum testimonium antiquum haberemus indicans, olim Herculem contra Cerberum lapidibus usum esse.

Tum demum adit inferos deos in solio sedentes canemque postulat. Negant; statim iratus et vim illaturus — qua re maxime vetustior fabula a posteriore differt — lapidem, quem manu retinuerat, eis minatur. Resurgit Pluto fugaque salutem petit, cum uxor eius fortius advenae resistat, quem Mercurius dehortari videtur. Heroem autem antea fortasse arcu, quem protendit, usum esse verisimile non est; sed hoc statu pictor antiquam quandam artis normam reddidit, quae saepe heroem fingebat altera manu arcum protendentem, altera clavam vibrantem, tametsi utroque simul uti non poterat (cf. RML. I, 2141). Bene cum natura rerum atque temporum illorum simplicitate consentit, quod obsistunt Pluto uxorque eius raptori custodis sui neque comiter precibus commoti eum tradunt. Atque Hercules etiam ut homo violentus non diu orat, sed postulat, qua re eo facilius dei, ut repugnarent, adduci potuerunt.

Sic igitur pictor scyphi descripti fabulam sua aetate narratam esse testatur. Quae forma iam satis antiquis temporibus alteri concessit: inferorum dei non iam heroi resistunt, sed precanti neque vehementer, ut antea, postulanti comiter morem gerunt; quam ob rem Hercules, cur tela in eos mittat, non habet. Sic si non prius, at certe saeculo sexto ineunte poetae cantaverant, cum permagnus vasculorum numerus saeculi VI. et V., quae benigne praebentes deos ostendunt, aliam interpretationem nullam admittat. Quod ut intellegatur, breviter picturas, ubi Pluto vel Proserpina adest, inspiciamus: in 2 Proserpinam intra Orci portas cum Mercurio colloquentem heroi canem abducenti assentiri manifestum est; in 5 dea cum marito de advenae voluntate agere videtur, cum hic canem mulcere studeat; benigno cum vultu, annuentem igitur, deam in 7 in domus porticu

stantem videmus. In 13 autem Minervam in sella sedentem deae assensionem heroi conciliasse apparet, quam Proserpina ipsa iuxta canem picta haud dubie dextra porrecta manifestat. Interpretis persona in 34 Mercurio imposita est, cuius preces non facile dea negabit. Stupens, et magis apparatus ornatusque causa addita, quam actionis ipsius particeps dea dextra sublata in 8 conspicitur, ubi heros catenam tenens ad canem vinciendum accedit, atque similiter res se habet in 11 et 20. Idem in 10 de Plutone tranquille in sella sedente dicendum est, cum uxor eius pleno gradu appropinquans canis raptori haud scio an obsistere velit; frustra quidem, quoniam Cerberus superis auxiliantibus iam abducitur. Nullo modo Pluto et Proserpina in 36 repugnant, aeque, atque in 27 et 31, ubi non, nisi loci significandi causa additi videntur esse. In 44 vero mariti inferni heroem velut suum hospitem usque ad portas comitantur etiam, et senex Pluto canem manu permulcens sedat, qui uno tantum capite instructus cani villatico similior est, quam horrido infernorum custodi. In 42 Proserpina manum in heroem, qui monstrum biceps ex porticu trahere studet, protendit ita, ut quo animo sit dubites. Laxior denique, vel nullus est conexus inter deos et heroem in notis illis vasculis Apulicis 48—52, ubi Pluto uxorque eius magis ad Orpheum se convertunt, qui Eurydicen expetit (cf. Winkler, Bresl. philolog. Abhdlg. III, 5, p. 6. 29) aut, ut alii interpretantur, mystorum vitam beatam. (Dieterich, de hymnis Orphicis, p. 40. 41; Kuhnert, Arch. Jb. 1893, p. 105). Sed in ceteris, quas attuli, picturis inferorum deos heroi annuere liquet[120]).

[120]) Vasc. Tischbein IV, 35 = Millin, Gall. myth. 125, 467 Herculem ostendit, ut clava nixus cum Plutone, qui cornu copiae tenet, colloquatur Proserpina post mariti sellam

Quod quidem poetas attinet, ante Euripidem nullus invenitur, qui inferorum assensionem in vasculis dudum exstantem testetur. Cum vero tam pauca omnium eorum, qui antea fabulam tractaverant[121]), ad nos pervenerint, absurdum esset, si illius rei notitiam iis abiudicaremus. Picturae contrarium indicant et a saeculo sexto inferis adstipulantibus heroem Cerberum abduxisse patefaciunt. Euripides autem, cum Amphitryo filium roget, utrum vi cane potitus sit, an dono eum acceperit a regina Orci (Herc. fur. 612), sic eum respondentem facit v. 613: *μάχῃ· τὰ μυστῶν δ' ὄργι' εὐτύχησ' ἰδών*. Ut igitur canem vinceret, vi opus erat, a Proserpina autem vel Dite, quorum gratiam mysteriis Eleusiniis sibi conciliaverat, non prohibitus est. Idem ex Pirithoi hypothesi, quam fabulam alii Euripidi, alii Critiae attribuunt[122]), colligitur; exstant apud Gregorium Cor. haec[123]): *ἐπὶ τὸν Κέρβερον δὲ Ἡρακλῆς ἀποσταλεὶς ὑπὸ Εὐρυσθέως τοῦ μὲν θηρίου βίᾳ περιεγένετο, τοὺς δὲ περὶ*

adstante; ubi de Cerbero tradendo agi Winkler, l. l. p. 53/54 putavit; sed recte Furtwaengler, RML. I, 2188 monumenta similia afferens cornu ipsum ab heroe expeti cognovit.

[121]) Stesichorus „Cerberum" composuerat, de quo nihil scimus, nisi *ἀρύβαλλος* vocem infuisse (Bergk[4] Stes. fgm. 11). Pisandri fragmentorum nullum, Panyassidis illud fortasse huc pertinet, ubi Theseus et Pirithous in saxo haerentes memorantur (Ep. Gr. Fgm. p. 257, 9). Bacchylides carm. V, 56 sqq. Cerberi raptum non ignorat, sed ad rem nihil affert. Item res se habet ap. Pind. fgm. 249a ed. Schroeder, et Soph. Phaedr. fgm. 625.

[122]) Critiam fabulae auctorem esse Wilamowitz putat Anal. Eur. p. 168; Herakl.[2] I, p. 157/58. Nuper K. Kuiper, Mnemosyne 35 (1907), p. 354 sqq. satis firmis argumentis Euripidi eam vindicavit.

[123]) H. Rabe, Aus Rhetorenhandschriften, Musei Rhen. 1908, p. 144; Walz, Rhet. Graec. VII, p. 1313; Nauck, Trag. Graec. Fgm.[2] Eurip. fgm. 380.

Θησέα χάριτι τῶν χθονίων θεῶν τῆς παρούσης ἀνάγκης ἐξέλυσε, μιᾷ πράξει καὶ τὸν ἀνθιστάμενον χειρωσάμενος καὶ παρὰ τῶν θεῶν χάριν λαβὼν καὶ δυστυχοῦντας ἐλεήσας φίλους. Cum Theseum deis assentientibus solvisset, eum Cerberum quoque non contra eorum voluntatem rapuisse verisimile est; domare tamen canem ipse debuit. Quod autem Plutarchus refert Herculem Syracusanis, Proserpinae clientibus, auxilium tulisse, quia Cerberum ab ea accepisset[124]), in promptu est eum non modo omni vi contra deam abstinuisse, sed etiam in magna eius gratia fuisse. Cum Plutarcho Diodorus fere consentit, qui multo etiam gravius, quam bene inter eos convenerit, praedicat, et Proserpinam velut fratrem heroem recepisse refert[125]). Denique Apollodorus quoque ad eandem sententiam accedens Herculem precantem inducit, ut Cerberus sibi tradatur, Plutonem vero adnuentem ea condicione, ut sine armis canem domet[126]).

Quamquam iam satis ex vasculis et scriptorum libris constat, hanc fabulae formam, quae Dite Proserpinaque exoratis heroem cane potientem finxit, inde a saeculo sexto usitatissimam fuisse, tamen vetustior, quae vi et armis eum inferos petisse narraverat, plane extingui haudquaquam potuit semperque ali-

[124]) Plut. Nic. I, 3: *βοηθεῖν διὰ τὴν Κόρην, παρ' ἧς ἔλαβεν τὸν Κέρβερον.*

[125]) IV, 26: *προσδεχθεὶς ὑπὸ τῆς Φερσεφόνης ὡς ἂν ἀδελφός, Θησέα μὲν ἀνήγαγεν ἐκ δεσμῶν μετὰ Πειρίθου, χαρισαμένης τῆς Κόρης, τὸν δὲ κύνα παραλαβὼν δεδεμένον παραδόξως ἀπήγαγε καὶ φανερὸν κατέστησεν ἀνθρώποις.*

[126]) Bibl. II, 5, 12: *αὐτοῦντος δὲ αὐτοῦ Πλούτωνα τὸν Κέρβερον, ἐπέταξεν ὁ Πλούτων ἄγειν χωρὶς ὧν εἶχεν ὅπλων κρατοῦντα.* cf. Tzetz. Lyc. 50 sq. . . . *τὸν Ἡρακλέα τὸν δεξιούμενον καὶ φίλον σχόντα πάλαι τὸν Ἅιδην, ὅτε κατῆλθεν ἀνάξαι τὸν Κέρβερον.* Hygin. fab. 79: qui a Plutone impetravit eos (sc. Theseum et Pirithoum).

quid valebat. Etenim eius vestigia in duobus etiam vasculis Atticis inveniuntur, n. 3 et 12; quorum in altero (3) heros ad canem accedit dextra catenam tenens, ut eum vinciat, Proserpina autem alacri cum gestu ambas manus contra advenam quasi repulsura protendit. Atque in altera pictura pulcherrima (12) heros canem iam vinctum — laqueus per alterius capitis maxillam traiectus est — ex portis trahere studens clavam contra Proserpinam vibrat, quae velut defendens dextra sublata prope domus suae custodem adstat; quam respiciens Mercurius manum dehortans extollit, cum Minerva ad quadrigam perbene pictam se vertat, ut quam celerrime rapina in tutum transferatur.

Liquet ex utraque pictura canem vi atque contra Proserpinae voluntatem trahi, et minime heroem vereri in deam ipsam resistentem armis uti. Itaque dubium non est, quin pictores vetustioris narrationis meminerint, sive ex artis monumentis traditis hauriebant, sive popularem memoriam noverant.

Poetas quidem illius aetatis iam aliter cantasse modo explanavimus. Sin autem poetae comici efficere potuissent, ut suis vestigiis ars pingendi insisteret, certe forma antiquior saepius exstaret. Nam in comoedia domicilium firmum reppererat denuoque revixerat, quod ex Aristophane de tota comoedia contendere liceat. Haudquaquam enim heroem apud inferos orantem introducit, quod minus aptum ridiculumque comoediae spectatoribus fuisset; immo, dolis versutiisque canem furatur atque clam praedam abigit. Itaque Ran. v. 465 sqq. Bacchus, qui Herculis ornatum gerit eiusque personam simulat, ab Orci ianitore increpatur sic:

ὦ βδελυρὲ . . .
ὃς τὸν κύν' ἡμῶν ἐξελάσας τὸν Κέρβερον
ἀπῆξας ἄγχων κ' ἀποδρᾶς ᾠχου λαβών,

atque v. 605 Xanthias servus, qui postea sub Herculis persona latet:

ξυνδεῖτε ταχέως τουτονὶ τὸν κυνοκλόπον.

Quibus versibus si nihil de vi et armis narratur, at certe contra inferorum voluntatem heroem rapuisse canem neque ut potestas esset abigendi rogavisse apparet.

Atque mirum, quod nonnullis saeculis interiectis denuo testimonium eiusdem fabulae formae invenimus. Seneca enim, quamvis saepe Euripidis vestigia premat, hac in re aliquanto cum eo discrepat atque manifestat, quibus fontibus mythologicis usus sit. Primo fortasse credat quispiam heroem inferos ipsos aggressum esse, si audiverit Iunonis verba Herc. fur. 47 sq. „effregit ecce limen inferni Iovis | et opima victi regis ad superos refert, v. 50 sq: „vidi ipsa, vidi nocte discussa inferum | et Dite domito spolia iactantem patri | fraterna“[127]). Sed postquam Amphitryo Theseum interrogavit, quonam modo res tam periculosa gesta atque canis abductus esset, v. 761: „patrui volentis munus an spolium refert?“ non Plutoni Proserpinaeque ipsis heroem vim attulisse comperimus, sed verberando Cerberum atque domitando ita eos terruisse, ut sine mora custodem imperii sui traderent (v. 804 sq: extimuit sedens | uterque solio dominus et duci [sc. canem] iubet).

Quin etiam impetus in deos ipsos illa occasione facti notitia haudquaquam plane interiit, sed hic et illic eius testimonia inveniuntur. Sic scholiasta ad Hom. E 395 profert, primum adnuisse, tum autem cane superato negasse Plutonem, qua de causa heros

[127]) cf. versus similes Herc. fur. 590 sq. 956. Herc. Oet. 1706 sqq. 1954 sq. Plutonem ab Hercule sauciatum esse Senecae non ignotum est, sed in proelio ante Pylum commisso, ut apud Homerum. cf. Herc. fur. v. 558 sqq.

sagittam in eum misisset[128]). Neque silentio praetereundi sunt Severus Alexandrinus[129]) (saec. V. p. Chr. n.) et Nicophorus Basilaces[130]) (saec. XII.) simili modo de eius cum inferis dissensione referentes. Qui scriptores, quamquam minime magnae fidei sunt, tamen memoratu digni mihi videntur propterea, quod tam mire cum antiquissima fabulae forma ex scypho Argivo collecta concinunt[131]).

Sin autem quae causa tantam fabulae transformationem effecerit quaerimus, Euripidis versus Herc. 612: *τὰ μυστῶν δ' ὄργι' εὐτύχησ' ἰδών* viam satis lucide commonstrat. In Attica, in mysteriis Eleusiniis, eius origo invenitur. Quae mysteria a saeculo sexto exeunte maxime florebant[132]), quibus initiari atque gratiam inferorum sibi conciliare tum tota fere Graecia studebat, quoniam mystis post mortem salus atque vita beata, ceteris omnia mala fore putabantur[133]). Quid igitur mirum, quod Graeci maximum quoque heroem, priusquam ad inferna descenderet, Eleusi vel Agrae mysteriorum participem fecerunt, ut propitios illos deos haberet feliciterque tanto labore perfunge-

[128]) *μετὰ δὲ τὴν νίκην πάλιν ἐναντιουμένου τοῦ θεοῦ τὸν Ἡρακλέα ὀργισθέντα τοξεῦσαι αὐτόν.*

[129]) Walz, Rhet. Graec. I, p. 542: *συνήφθην εἰς μάχην τοῖς κάτω θεοῖς· καὶ νῦν μὲν τοὺς τεθνηκότας ἀναβιοῦν παρεσκεύαζον· νῦν δὲ τοῦ φυλάττοντος ἀπεστέρησα συλήσας τὸν Κέρβερον.*

[130]) Walz, ibid. I, p. 472: *ὑπὸ γῆν ἦλθον, αὐτὸν Ἅιδην ἐχειρωσάμην, εἷλον τὸν Κέρβερον.*

[131]) cf. etiam Aristid. I, p. 26 (Dindorf), qui herois apud inferos facinus narrans profert: *ὁσαχοῦ τοῖς ἀντιπράττουσι τῶν δαιμόνων ἐναντίων ἔδει τὸ τόξον ἄρεσθαι, τῆς Ἀθήνης παρούσης ἐθάρρει,* ubi fortasse Pluto quoque significatur.

[132]) Stengel, Gr. Kultusaltertümer, p. 120.

[133]) Hom. hym. in Cererem v. 480 sqq; Pind. fgm. 137a ed. Schroeder; Soph. fgm. 753 (Nauck²).

retur[134]). Sic post Euripidem Plato personatus refert Axioch. 371 D: *καὶ τοὺς περὶ Ἡρακλέα τε καὶ Διόνυσον κατιόντας εἰς Ἅιδου πρότερον λόγος ἐνθάδε μνηθῆναι, καὶ τὸ θάρσος τῆς ἐκεῖσε πορείας παρὰ τῆς Ἐλευσινίας ἐναύσασθαι*, ac similiter Diodorus IV, 25, 1: *πρὸς δὲ τοῦτον τὸν ἆθλον* (sc. Cerberi raptum) *ὑπολαβὼν συνοίσειν αὐτῷ, παρῆλθεν εἰς τὰς Ἀθήνας καὶ μετέσχε τῶν ἐν Ἐλευσῖνι μυστηρίων*[135]).

Mysteria autem spectando Herculem satis magnas vires ut vinceret canem accepisse Wilamowitzius ad Euripidis Herc. v. 612. dicit, quamquam pugna ipsa ei non remitteretur. Equidem non tam id mysteria effecisse censeo, — nam antea quoque cane potitus est — quam ut benigni inferorum dei ei adnuerent neve resisterent.

Neque vero Euripides, tametsi primus eius initiationem testatur, ipse eam invenit. Etenim praeter nota duo vascula saeculi quarti, quae heroem inter deos deasque Eleusinias exhibent[136]), iam saeculi V. ineuntis vasculum habemus[137]), ubi in duobus lateribus Triptolemus, Proserpina, Ceres pictae sunt, ansarum autem sub altera sedet Bacchus cantharum tenens, sub altera Hercules ipse quoque cum poculo.

---

[134]) Wilam. Herakl.[2] I, p. 111 adnot. 6: „Der gläubige Myste konnte sich den, der das Jenseits ungestraft betreten hatte, auch nur als Mysten denken.“

[135]) Alii loci exstant Xenoph. hist. Graec. VI, 3, 6; Plut. Thes. 30, 33; Aristoph. Plut. schol. 1013; Apd. bibl. II, 5, 12; Steph. Byz. s. v. Ἄγρα; Tzetz, Lyc. 1327. Chil. II, 389. Plures affert Dettmer, De Hercule Attico, Diss. Bonn. 1869, p. 65 sqq.

[136]) a) depict. Stephani, Compte-rendu pour 1859, tab. 2; Gerhard, ges. acad. Abhdlg. tab. 77. b) in mus. Brit. F 68, depict. Panofka, Cab. Pourtalès tab. 16; Gerhard l. c. 71, 1.

[137]) in mus. Ravenstein Bruxellis n. 235; cf. Furtwaengler, RML. I, 2185/86.

Certe pictor cum illis deis heroem mysteriis coniunctum fuisse ea imagine significare in animo habuit. Sed verisimile est, iam saeculo VI. ineunte de eius initiatione constitisse, quo tempore Cerberi fabulam magnam illam transformationem passam esse picturae ostendunt. Quod ne fieret, nihil obstabat; nam mysteria iam saeculo VII., cum hymnus in Cererem, qui eorum mentionem facit (v. 470 sqq.), componeretur, condita atque celebrata fuisse apparet[138]). Accedit, quod mysteria Agris habita, quae Hercule auctore instituta esse schol. Aristoph. Plut. 1013 tradit, saeculo VII. exeunte vel initio saeculi VI., cum Eleusis adiungeretur Athenis, condita esse valde probabile videtur[139]). Tum igitur narratio ficta est heroem mysteria spectasse et, priusquam ad inferos descenderet, gratiam illorum deorum sibi conciliasse. Quae cum ita essent, quomodo vetustissima illa fama locum teneret, quae manus eum inferis intulisse tradebat? Tantopere cum nova opinione discrepabat, ut paulatim removeretur interdumque tantummodo, sicut vidimus, eius vestigia inveniantur[140]).

Quamquam eo, quod Pluto atque Proserpina heroi non iam resistebant (secundum vulgarem saltem

---

[138]) K. O. Mueller in Erschii et Gruberi Encycl. s. v. Eleusinien p. 275; Kern in Pauly-Wissowa Encycl. s. v. Demeter, p. 2736; Dieterich, Nekyia p. 64. Sententiam contrariam defendit Wilamowitz, Hom. Untersuchg. p. 208.

[139]) cf. Gruppe, Gr. Myth. p. 34/35. 52; Maass, Orpheus p. 103/4.

[140]) Occasione data non omiserim, similem fabellae cuiusdam commutationem proferre. In Alcestidis Admetique mytho, ut praeteream, quod nunc Morti, nunc Plutoni Hercules Alcestim eripit, Lucianus dial. mort. 23 inferorum gratia eum mulierem mortuam recuperasse refert; Apollodorus (bibl. I, 9, 15) autem, cuius ad sententiam Nicolaus Myrensis (Walz, Rhet. Graec. I, p. 284) aliique accedunt, vi et armis.

opinionem), laboris periculum magnopere diminuebatur, tamen ad canem ipsum vinciendum nihil ei inferorum gratia utilitati erat, cum suis ipsius viribus monstrum domare deberet. Ad hanc fabulae summam partem nunc accedamus. Antea autem de canis specie nonnulla dicenda sunt; qua in re illud Loeschckii viri doctissimi valet, Cerberi speciem minime certam fuisse, sed semper dubiam mutabilemque[141]). Itaque poetarum artificumque ingeniis magna erat facultas eius formae, quam varie volebant, fingendae atque exornandae. Qua de re his temporibus copiose disseruit O. Immisch[142]), a quo, ut saepe eum secutus sum, sic interdum abscedendum esse puto.

Ac primum Homerus neque nomen Cerberi, neque monstri descriptionem habet, quam ob rem facile Pausanias Hecataeum secutus affirmare potuit, Cerberum non canem fuisse, sed anguem in specu Taenareo habitantem[143]), et sub effigie anguinea Homerum quoque eum sibi finxisse[144]). Qua sententia statim exquirere cogimur, num profecto Cerberus antiquissimis temporibus velut anguis effingi solitus sit. Immisch eiusmodi formam olim ei fuisse contendit. Initium argumentationis l. c. I, 2, p. 1132 ab eo capit, quod *μελιτοῦττα*, quae mortuo in Orcum inituro Cerberi leniendi causa data sit, anguium principio delenimentum fuerit, non canis[145]). Tum exponit, quod *κύων* non solum canem significet, sed

[141]) Aus der Unterwelt. Dorp. Progr. 1888.

[142]) RML. II, 1, p. 1119 sqq. s. v. Cerberus.

[143]) Paus. III, 25, 5 = FHG. I, p. 27 Hecataei fgm. 346: *ἀλλὰ Ἑκαταῖος μὲν ὁ Μιλήσιος λόγον εὗρεν εἰκότα ὄφιν φήσας ἐπὶ Ταινάρῳ τραφῆναι δεινόν, κληθῆναι δὲ Ἅιδου κύνα* sq.

[144]) Paus. III, 25, 6: *οὐδέν τι μᾶλλον Ὁμήρου κύνα τῷ ἀνθρώπῳ σύντροφον εἰρηκότος, ἢ εἰ δράκοντα ὄντα ἐκάλεσεν Ἅιδου κύνα.*

etiam universe custodem ministrumque[146]), facile Homerum, cum diceret *κύνα στυγεροῦ Ἀίδαο* (*Θ* 368), anguem Plutonis intellegere potuisse, quoniam serpentes proprii essent cuiusvis generis inferorum, sive deorum, sive heroum, sive mortuorum. Cuius rei argumento veteribus ectypis Laconicis[147]) utitur, in quibus nunc virum mulieremque in solio sedentes videmus, nunc virum solum, nunc mulierem, omnibus inferorum deorum attributis ornatos. Quos tamen non Plutonem Proserpinamque, ut antea censuerat[148]), sed heroes mortuos esse Milchhoeferus concessit[149]). Nostra autem maxime interest, quod post, vel ante solium magnus anguis conspicitur, antiquissima, ut censet Immisch, Cerberi forma. Quomodo tum serpentis species paulatim remota sit eiusque locum canis occupaverit, id optime cognosci posse ex ectypo quodam Athen. Mitt. VII, 7 depicto, ubi anguis quidem absit, canis vero ad genua mortui prosiliat. (Addo ectypum ibidem II, 22 allatum, in quo et canis et anguis adest). Cuius transitus vestigia in Cerbero quoque Plutonis Borghesi, qui dicitur, apparere (depict. RML. I, 2, p. 1803; Baumeister, Denkm. p. 620), cui serpens non natura coaluerit, sed sine firmo conexu corpus amplectatur. Denique Immisch concedit fieri potuisse, ut iam formae Cerberi anguineae complura capita essent. Sed haec ipsa res totam eius sententiam labefacit; etenim iam Hesiodus (cr. 700) quinquaginta, id est multa capita Cerbero attribuit atque vocem velut aes sonantem (Theog. 312.

[145]) cf. Aristoph. Lysistr. 601 cum schol; Nub. 507; Suid. s. v. *μελιτοῦττα*; al. loc.

[146]) exempla coll. Wilamowitz, Herakl.² II, p. 105.

[147]) Depicta Athen. Mitt. II. IV. VII.

[148]) Athen. Mitt. II, p. 458—474.

[149]) ibidem IV, p. 163; cf. Furtwaengler, ibid. VII, p. 164.

cf. p. 81), horum autem ectyporum ne unum quidem anguem multicipitem exhibet, quamquam vetustissimum saeculo VI. ineunti aetate non antecedit (cf. Athen. Mitt. II, p. 457). Ut recte se habeat illud Dresselii et Milchhoeferi l. l. II, p. 451/52, repraesentationem, quae in ectypis inest, minime novam, aut illo demum saeculo inventam esse, sed ad antiquissimam quandam artis normam spectare[150]), tamen artifices nunquam tam pertinaciter veterem fingendi modum tenebant, ut non hic vel ille, si omnium opinio mutata esset, eam sequeretur. Itaque anguis, qui nihil, nisi locum infernum sepulchrumque significat, nullo modo idem est atque Cerberus.

Praeterea autem contra Immischii sententiam dicenda sunt haec: Mirum esset, si in Cerbero solo per imaginem *κύων* appellato imago speciem veram removisset, quod in reliquis monstris, item *κύνες* nominatis, non factum esse constat. Ceterum in omnibus exemplis, quae Wilamowitz l. c. attulit, *κύων* vox cum nomine domini, vel appositione aliqua coniungitur, quae, quid significetur, haud dubium relinquit. Sic Aeschylus Iovis aquilam appellat Prom. 1022: *Διὸς πτηνὸς κύων δαφοινὸς ἀετός*, grypas ibid. 805/6: *Ζηνὸς ἀκραγεῖς κύνας γρῦπας φυλάξαι*, Eumenides Choeph. 924. 1054: *μητρὸς ἐγκότους κύνας*; Sophocles Oed. R. 391 de Sphinge dicit: *ἡ ῥαψῳδὸς ἐνθάδ' ἦν κύων*, Euripides de Hydra Herc. fur. 420/21: *πολύφονον κύνα Λέρνας ὕδραν ἐξεπύρωσεν*, et v. 1274: *ἀμφίκρανος καὶ παλιμβλαστὴς κύων*. Atque similiter in reliquis exemplis res se habet; nullum in-

[150]) „Wir haben es in den spartanischen Reliefs nicht mit vagen, kindlichen Anfängen, sondern, wie schon die Anzahl der zufällig erhaltenen Exemplare beweist, mit frühen Reproduktionen eines zwar uralten, aber durch die Übung gefestigten Typus zu tun.“

venies, ubi *κύων* nomen per se positum sit. In Homeri autem carminibus altero quidem loco nomen possessoris additur, Θ 368: *κύνα στυγεροῦ Ἀίδαο*, altero autem legimus tantummodo (λ 623): *καὶ ποτέ μ' ἐνθάδ' ἔπεμψε κύν' ἄξοντ'*. Ubi nihil, nisi canem intellegi posse, quis est, qui non largiatur? Quam ob rem hoc quoque Immischii et Hecataei argumentum irritum est. Denique, quod *μελιτοῦττα* anguium lenimentum fuisse traditur, ea res non excludit, idem delenimentum contra canem quoque adhibitum esse, praesertim qui anguibus praeditus fingeretur. Itaque illis etiam temporibus, quae nullam Cerberi descriptionem nobis tradiderunt, canem eum putatum esse mihi persuasi[151]).

Vetustissimum autem vasculum, quod eius raptum illustrat (1), sub canis effigie pictum eum exhibet, cuius ex corpore hic et illic sex angues vibrant. Simile Hesiodus monstrum sibi finxisse videtur, qui, postquam ex Echidna Typhaoneque eum natum esse exposuit, fratrem igitur Orthi, Hydrae, Chimaerae, leonis Nemei aliorumque monstrorum, verbis pergit hisce (Th. 311 sq):

Κέρβερον ὠμηστήν, Ἀίδεω κύνα χαλκεόφωνον,
πεντηκοντακέφαλλον, ἀναιδέα τε κρατερόν τε,

quibus in versibus *πεντηκοντακέφαλλον* non ad verbum accipiendum, sed pro multicipiti adiectivo positum esse liquet[152]). Sin autem infra de eodem Cer-

[151]) Quo cane terram ipsam olim significatam esse, consumptricem omnium corporum, exposuit A. Dieterich, Nekyia p. 49 sqq. nixus et veterum interpretationibus, et iis scriptorum locis, ubi Cerberus mortuorum corpora lacerat aut devorat.

[152]) Item intellegenda sunt Tzetz. Chil. II, 389: *Κερβέρου, ὃς πεντηκοντακέφαλος*; Tzetz. Lyc. 699: *ὁ κύων τοῦ Ἅιδου, ὃς ἔχει ἑκατὸν κεφαλάς*; schol. Hes. Theog. 311: *ὁ μὲν Πίνδαρος ἑκατοντακέφαλόν φησιν εἶναι τὸν Κέρβερον*; Horat.

bero legimus (v. 770): *σαίνει ὁμῶς οὐρῇ τε καὶ οὔασι ἀμφοτέροισι,* hoc loco haud dubie de uno capite agitur, qua de causa vehementissime versus cum superiore discrepare videtur. Neque cunctati sunt homines litterati, cum alios, tum hunc versum velut interpolatum eicere. Sic in Goettlingii Flachiique editione ad v. 312 adnotatum est „vv. 746—805 a rhapsodo aliquo intrusos esse verisimile est". Quibus remotis quamquam ex Hesiodi carmine contradictio emittitur, in fabula ipsa remanet, quoniam haud ita multo post Hesiodum rhapsodi interpolationem factam esse putare licet, qua aetate non magis, quam antea, Cerberum unicipitem fictum esse constat, sed bicipitem. At rationem probabilem invenisse puto, qua ne Hesiodo quidem locus abrogandus sit. Ut mittam, quod pulchritudini poeticae vehementer repugnasset, si de centum auribus adulantibus poeta dixisset, optime discrepantia evanescit, si aeque, atque in scypho Argivo exstat, Hesiodus canem cogitavit, id est uno capite instructum multisque serpentibus circumvallatum. Facile sic et *πεντηκοντακέφαλλον* eum dicere potuit ad multa anguinea capita spectans, facile etiam *οὔασι ἀμφοτέροισι* adulantem, de unico capite canino cogitans.

Eodem modo Tzetzes cum tricipiti attributo, quod cani addit, quinquaginta capita iungit[153]), neque aliter Apollodorus, quamvis graviter tria eius capita testetur (II, 5, 12: *εἶχε δὲ οὗτος τρεῖς μὲν κυνῶν κεφαλάς*), tamen paucos versus infra de uno ca-

carm. II, 13, 24: belua centiceps; cf. schol. Θ 368; schol. Soph. Trach. 1098.

[153]) Chil. II, 389 sqq:
ὃς πεντηκοντακέφαλος Ἅιδου δεινὸς ἢ κύων
κυνῶν τρεῖς ἔχων κεφαλὰς δράκοντος τὸ οὐραῖον,
κατὰ δὲ νώτου κεφαλὰς ἄλλων θηρῶν παντοίων.

pite dicere videtur (*περιβαλὼν τῇ κεφαλῇ τὰς χεῖρας*). Seneca quoque non dubitat, praeter tria capita unum commemorare[154]), et in Horatii carminibus de unicipiti, tricipiti, centicipiti cane cogitare licet[155]). Tot exemplis commotus nihil miror, quod Hesiodus licentia quadam poetica usus hic de uno, illic autem de quinquaginta Cerberi capitibus dicit.

Post Hesiodum aetas usque ad poetas fere tragicos bicipitem Cerberum fuisse, id est duo capita canina habuisse sibi persuaserat. Quae forma, ut persaepe in vasculis pictis et atris, et rubris invenitur, velut in 2—5. 7. 8. 10—12. 14—18. 20—26. 28. 29. 31. 34. 35. 37—39. 42. 43. 45—47[156]), ita est mirum, quod in poetarum scriptorumque libris nullum eius testimonium diem tulit; tamen id casu accidisse apparet, cum pingendi ars satis lucide ostendat re vera effigiem illam exstitisse.

Quod autem Loeschckius (Dorp. Progr. 1888) eumque secutus Usener (Zwillingsbildg. Strenae Helbigianae p. 318) ex forma bicipiti concluserunt, Cerberum olim sub effigie duorum canum integrorum fictum esse, quorum memoria etiam nunc in artis monumentis inveniretur, vix probabile est. Nam quae afferunt monumenta, sarcophagum Clazomenium, ubi duae canes in iuvenem utraque manu

[154]) Herc. fur. 783 sqq: Stygius canis,
qui terna vasto capita concutiens sono
regnum tuetur. Sordidum tabo caput
lambunt colubrae.

[155]) carm. III, 11, 17:
Cerberus, quamvis furiale centum
muniant angues caput eius, atque
spiritus taeter saniesque manat
ore trilingui; carm. II, 13, 24: belua centiceps.

[156]) Descriptio accurata desideratur in 6. 9. 32. 33. 36. 41; capita erasa sunt in 19 et 27.

gallum tenentem adsiliunt (dep. RML. II, 1, 1127), aut duos lupos vel canes statuae viri sedentis ab utroque solii latere additos (dep. Arch. Zeitg. 1881, tab. 17, 3), quid sibi velint, parum constat. Antiquissimum autem vasculum n. 1 unum canem atque eum uno etiam capite instructum praebet. Praeterea Usener altero loco (Dreiheit, Mus. Rhen. 58 [1903], p. 170), ut tricipitis canis originem explanet, triformem olim Cerberum fuisse contendit. Quam ob rem cane bicipiti vel tricipiti nihil, nisi inferorum custodis feritatem expressam esse censeo (cf. C. Robert, Gött. gelehrt. Anz. 1900, p. 721).

Permulta testimonia tricipitis canis occurrunt sescenties a scriptoribus memorati. Ac primum legimus in Soph. Trach. 1090 sq: *τὸν ϑ' ὑπὸ χϑονὸς Ἅιδου τρίκρανον σκύλακ' ἀπρόσμαχον τέρας*, et apud Euripidem, Herc. fur. 24 sq: *βέβηκ' εἰς Ἅιδου τὸν τρισώματον κύνα ἐς φῶς ἀνάξων*, v. 611: *ϑῆρα . . . τρίκρανον*, v. 1278: *κύνα τρίκρανον*. Sed aliquanto prius eam formam notam fuisse ex ectypo Cyprio saeculi VI. exeuntis concludo, quod Herculis cum Geryone pugnam repraesentat, ubi Orthus, cuius figuram Cerberi simillimam fuisse exposuimus, tribus capitibus instructus conspicitur (cf. p. 44). Vascula quidem eiusmodi canis speciem exhibentia non nisi recentiora habemus, velut 30. 40. 48—53[157]). Atque tam trita et inter omnes nota haec forma fiebat, ut non solum paulatim faciem bicipitem plane removeret, atque ipsa semper valeret, sed etiam Ps. Lucianus Philopatr. 1 *τρικάρηνον* per se pro Cerbero usurpare posset[158]).

[157]) 48—53 saeculi IV, 40 saec. V. exeuntis, de 30 ex descriptione non constat.

[158]) Pro caninis capitibus interdum alia exstant: pictura n. 13 praeter duo canina unum draconis habet; Serapidis Cerbero leonis, lupi, canis capita erant teste Macrobio Sat. I, 20, 13; pardalis, leonis, canis capita coniungunt statuae aeneae Paris. Bibl. nat. (Babelon-Blanchet n. 790—792, p. 340); item coll. J. Gréau t. I, p. 171, n. 850; cf. Mus. Rhen. 58, p. 170.

Omnibus autem temporibus Cerberus, quo fieret terribilior atque infernorum custos significaretur, anguibus instruebatur. Sic iam in scypho vetustissimo Argivo. Quemadmodum vero cum cane serpentes coniungendi essent, in hac ipsa re tanta apud artifices et scriptores varietas invenitur, ut certam opinionem nunquam fuisse eluceat. Tamen, ne quid desideretur, variae exornandi rationes afferendae sunt. Plerumque cauda in anguis caput exit, velut in plurimis picturis atris atque rubris et multis scriptorum locis, semel etiam in duo capita (n. 46); neque vero minus saepe vulgarem caudam caninam videmus. Tum aliis quoque corporis partibus colubri adduntur, quod de scypho Argivo identidem dictum est. Similiter in Xenoclis cylice (n. 35), praeter id, quod cauda in anguem finitur, duo serpentes post aures, duo circum armos, duo sub alvo vibrant. Quibuscum picturis Apollodori descriptionem conferas II, 5, 12: *εἶχε δὲ οὗτος τρεῖς μὲν κυνῶν κεφαλάς, τὴν δὲ οὐρὰν δράκοντος, κατὰ δὲ τοῦ νώτου παντοίων εἶχεν ὄφεων κεφαλάς*[159]); quae anguinea capita apud Tzetzem Chil. II, 392 in variarum bestiarum capita commutata sunt. Post aurem utriusque capitis singuli angues vibrant in 23, supra utrumque caput in 3 et 43; prope duo canina capita unum draconis habet in pictura 13, ex unoquoque canis pede coluber se tollit in 46. Denique in n. 40 novem serpentes tricipitem figuram canis ornant, atque unus eorum sinistrum pedem priorem, duo dextrum, singuli unumquodque os; praeterea unus frontem, duo collum

[159]) Similiter Eudoc. viol. p. 343.

capitis medii. Ita fere scriptores nonnullos Romanos canem sibi finxisse cum aliorum[160]), tum Senecae versus indicant, Herc. fur. 783 sqq:

Stygius canis,
qui terna vasto capita concutiens sono
regnum tuetur; sordidum tabo caput
lambunt colubrae, viperis horrent iubae,
longusque torta sibilat cauda draco.

v. 794 sq: sibilat totos minax | serpens per armos.

Sed iam satis apparet, quam varia mutabilisque Cerberi forma semper fuerit; quod ad capita quidem attinet, saeculo VI. de duobus, postea de tribus constitit; in anguibus autem maxima erat licentia. Tamen hoc pro certo contendere licet nunquam velut vulgarem canem villaticum eum fictum esse. Nam in patera quoque mutilata Altenburgensi (44) cauda saltem unicipitis canis in anguem exire videtur, et in metopis „Thesei" Atheniensis et templi Iovis Olympiaci, cum cauda Cerberi unicipitis lateat[161]), quid obstat, ne anguineam nobis eam fingamus?

Tam terribile igitur monstrum ad lucem educere Hercules ab Eurystheo iussus est. Quod mandatum, etiamsi inferi minime obstarent, sine pugna atque periculo propter canis immanitatem effici non posse in promptu erat. Quemadmodum autem heros eo quoque labore perfunctus sit, nunc explanabitur.

Ac primum iam supra necesse erat praesumere, quod ex scypho Argivo elucebat, quondam heroem statim, postquam advenit, lapidibus iactis ita canem

[160]) cf. Verg. Aen. VI, 416 sqq; Culex 220; Ov. Met. VII, 407. X, 21; Tibull. I, 3, 71; III, 4, 87; Hor. carm. III, 11, 17; Lucan. VI, 664/65.

[161]) Treu, Bildwerke v. Olympia, p. 175/176, tab. XLV, 11; Sauer, Das sog. Theseion u. sein plastischer Schmuck, p. 174 sq, tab. VI.

domuisse, ut non resisteret. Duo poetae multo posteriores similem pugnae rationem servaverunt: nam apud Senecam quoque (Herc. fur. 800 sqq.) heros, ubi Orcum intravit, statim canem petit, non quidem, ut olim, lapidibus aggrediens, sed clava, quae a saeculo VI. semper ei attribuebatur, tam diu eum verberans, donec lassus capita submitteret. Neque fere quidquam ab eius pugnae descriptione Quinti Smyrnaei versus Posthom. VI, 266 sqq. differunt.

Sic igitur saeculo VII. poetae cantaverant, et armis tantum mutatis post Christum natum iterum scriptores modo allati.

Postquam autem heros mysteriis initiatus in magnam inferorum gratiam venit, res in contrarium se convertit: etenim primum nunc supplicans ad deos accedit eorumque assensionem sibi conciliat, tum demum Cerberum petit. Nunquam, nisi illa aetate fingi potuit eum sine ullis armis a Plutone canem vincere iussum esse, ut postea refert Apollodorus: *ἐπέταξεν ὁ Πλούτων ἄγειν χωρὶς ὧν εἶχεν ὅπλων κρατοῦντα*[162]). Quoniam Herculis initiationem saeculo VII. exeunte notam fuisse explanavimus, Plutonis etiam condicionem haud multo post ortam esse necesse est. Qua cum re bene consentit, quod in scholio Townl. Homeri E 395, quod vetustiora et recentiora conglutinat, legitur, Plutonem heroi ut sine scuto et gladio pugnaret imperasse *(ἄνευ ἀσπίδος καὶ σιδήρου χειρώσασθαι τὸν Κέρβερον)*[163]); nam scutum in tempus

[162]) cf. Tzetz. Chil. II, 400 sq: *τῇ λεοντῇ καὶ θώρακι μόνοις ἐσκεπασμένος | δίχα τῶν ὅπλων τῶν λοιπῶν, ὥσπερ ὁ Πλούτων ἔφη.*

[163]) Ceterum idem scholion *σίδηρον* non intellegens gladium, sed metallum ferri, deverticulum singulare profert hoc, heroem telis suis cuspides lapideas parasse *(τοῖς δὲ βέλεσι λιθίνας ἀκίδας κατασκευάσαι)*. Differt paululum scholiasta Venet.

satis vetus nos ducit, cum ille herois fingendi typus, qui interdum velut militem gravis armaturae eum exornabat, nondum in oblivionem venisset[164]), quod optime ad finem saeculi septimi quadrat.

Quam sententiam vascula firmant; quid enim, quod in compluribus picturis, et atris, et rubris, aut clavam humi iacentem videmus, cum heros catenam tenens monstrum lenire conetur, velut in 3, aut ad arborem acclinatam in 43, aut ad domus columnam in 8. Arcum quin etiam pharetramque deposuit et pelle tantummodo tectus canem abigit in 52. Quod non fortuito, sed consulto pictores fecisse patet. Eorum igitur iam auctoribus illa Plutonis condicio nota erat, quae in litteris ante Apollodorum nusquam exstat.

Atque eadem aetate primum poetas cantasse consentaneum est, angendo Herculem cane potitum esse[165]). Quam pugnandi rationem natura rei secum ferebat, quoniam nihil armorum Plutonis praeceptum admisit. Vetustissimum testimonium indicans, eum luctando canem superasse, apud Aristophanem exstat, qui Ran. v. 467 sq. pugnam describit sic: *ὃς τὸν κύν' ἡμῶν ἐξελάσας τὸν Κέρβερον | ἀπῄξας ἄγχων κ' ἀποδρὰς ὤχου λαβών*, quocum Apollodorus consentit, qui tradit: *περιβαλὼν τῇ κεφαλῇ τὰς χεῖρας οὐκ ἀν-*

B scribens: *χρήσασθαι . . . ταῖς δὲ λιθίναις ἀκίσι ἀντὶ τῶν βελῶν*, ubi haud scio an vetustissimae pugnandi rationis memoria insit.

164) Herculis scutum gestantis Furtw. RML. I, 2147 exempla affert Hesiodi Scutum et vascula Gerhard. A. V. 84. 85 depicta, quae ipsa quoque Cycni pugnam repraesentant. Accedunt vasc. Berol. 2007 et musei Louvre F 155, quae Geryonis pugnam spectant.

165) In pugna etiam leonis simili modo proeliandi ratio transformata est; olim enim clava vel gladio heros utebatur, postea luctando vicit.

ῆκε, . . . κρατῶν δὲ ἐκ τοῦ τραχήλου καὶ ἄγχων τὸ θηρίον ἔπεισε[166]).

Certe autem iam saeculo VI. ea pugnandi ratio divulgata erat. Valde quidem est mirum, quod nunquam pictores eam reddiderunt. At omnino non pugnam ipsam finxerunt, — neque enim habemus ullam eiusmodi picturam —, sed aut res antea gestas, aut postea. Itaque facile picturae in duas partes dividuntur:

1. Cerberus nondum vinctus est,
2. Cerberum iam superatum videmus. Prioris ordinis imagines sic variantur:
   a) Hercules ad canem accedens altera manu eum mulcere studet, altera catenam vel restem tenet, velut in n. 3. 4. 7 (hic altera manu in clava nititur), 8. 43.
   b) catena heros non utitur, sed mulcet canem in 5. 27, quod in 11. et 31. Mercurius pro eo facit.
   c) H. nihil agens tranquille contra canem stat in 15. et 27.
   d) timore affectus monstrum perhorrescit et refugit in 10. 23. 29. 46 (in hoc vasculo Mercurius etiam fuga salutem petit).

Quae quamquam ita sunt, tamen omnes picturae allatae et imprimis illae, ubi clava deposita sine ullis armis heros ad canem mulcens accedit, exspectationem eam in nobis excitant, brevi pugnam initium capturam esse, neque aliam, nisi luctationem; nam omnino non resistentem Cerberum se vinciri passum esse nusquam comperimus. Itaque recte ex picturis concluditur saeculo VI. ineunte luctationem inventam esse.

166) Tzetz. Chil. II, 402: *ἐκ τοῦ τραχήλου κατασχών*.

Heroem autem in ipso luctando occupatum Augusti demum aetate ectypa gemma ostendit a Dioscuride signata[167]). Videmus Herculem omnino nudum et tali fere corporis forma, quali Hercules Farnesinus, qui dicitur, ambo Cerberi capita femoribus suis comprimentem et vincula imponere studentem. Canis vehementer pedibus se liberare conatur, caudam, quae anguis capite caret, sub alvum reflectens. Prope clava iacet ad rupem acclinata et leonis pellis.

Ceterum non neglegendum est heroem deposuisse pellem. Antiquiore enim aetate usque ad saeculum fere V. semper eam supra chitonem vel loricam cinctam gestabat[168]), ut saepissime in vasculis videas. Ab illo demum tempore laxe de sinistro plerumque brachio pendere solet. Qua de causa narratio, quae pelle velut scuto eum utentem facit[169]), saeculum V. antecedere non potest. Apollodorus et Tzetzes eam non habent, sed ad vetustiorem spectant, quae heroem lorica et pelle indutum introducit[170]).

Cum luctatione artissime cohaeret id, quod et ipsum apud Apollodorum legimus, anguem caudae momordisse heroem *(καίπερ δακνόμενος ὑπὸ τοῦ κατὰ τὴν οὐρὰν δράκοντος)*[171]). Hoc quoque una cum lucta-

[167]) Furtwaengler, Beschreibung der geschnittenen Steine im Antiquarium n. 11062; Arch. Jb. III, p. 106 sqq. tab. III, 1; Antike Gemmen tab. LII, 6.

[168]) cf. RML. I, 2135.

[169]) schol. E 395: *τῇ μὲν δορᾷ χρήσασθαι ἀντὶ ἀσπίδος*; Senec. Herc. fur. 797 sqq: solvit a laeva feros | tunc ipse rictus et Cleonaeum caput | opponit ac se tegmine ingenti tegit.

[170]) Apd.: *τῷ τε θώρακι συμπεφραγμένος καὶ τῇ λεοντῇ συσκεπασθείς*; Tzetz. Chil. II, 400: *τῇ λεοντῇ καὶ θώρακι μόνοις ἐσκεπασμένος*.

[171]) cf. Tzetz. Chil. II, 102 sq: *δακνόμενος οὐραίῳ | καὶ ταῖς λοιπαῖς ταῖς κεφαλαῖς τούτου ταῖς νωτιαίταις*.

tione inventum esse suspicor; etenim optime quadrat ad talem pugnandi modum, quo proxime coitur. Firmum quidem argumentum indicans, tam veterem anguis morsum esse non habemus, cum scriptores ante Apollodorum eum non memorent; itemque vetustiores pictores, quamvis saepe caudae anguem rictu diducto linguaque vibrante pinxerint (cf. n. 14. 16. 35. 36), morsum ipsum nunquam repraesentarunt. Vascula demum Apulica, quae Orci varias imagines continent et posteriore parte saeculi IV. picta sunt, rem illam ostendunt. Eorum in 48. et 52. ut Cerberus caudae capite anguineo suram herois, qui canem secum trahere studet, mordeat videmus, et circumplicet saltem crus eius non quidem laedens in 50. Sed fortasse huc aliquid affert cylix satis antiqua et colore atro picta, n. 35: heros canem vehementer porro contendentem ducit et catena retinet. Sequitur Minerva coronam victricem portans, cum Mercurius antecedat. Quid, quod unus ex anguibus, qui canis corpus circumdant, suram Mercurii mordere conatur? Deus se vertit et minaciter sinistram tollit, ut deterreat canem[172]). Cum vero anguis suram dei ipsam petat, valde probabile est pictorem id, quod de Herculis luctatione atque vulnere audiverat, ad Mercurium suo arbitrio transtulisse.

Iam vero pugnae ratione exposita silentio non praetereundum est, interdum sine ullo labore Herculem ab inferis canem vinctum dono accepisse videri. Quod ut suspicemur, duo scriptores nos adducunt. Primum Diodorus, postquam narravit, Proserpinam velut fratrem Herculem hospitio recepisse et Theseo Pirithooque liberandis annuisse, pergit IV, 26: *τὸν δὲ κύνα παραλαβὼν δεδεμένον παραδόξως*

[172]) Falso De Witte, Catal. Durand n. 65: „comme pour exhorter Hercule à emmener le chien."

ἀνήγαγε καὶ φανερὸν κατέστησεν ἀνθρώποις. Neque alius sensus in Plutarchi verbis latere videtur Nic. 1, 3: *ἔτι δ' εἰκὸς εἶναι τὸν Ἡρακλέα τοῖς μὲν Συρακουσίοις βοηθεῖν διὰ τὴν Κόρην, πάρ' ἧς ἔλαβεν τὸν Κέρβερον.* At vascula vetera nullo modo tam levem laborem fuisse testantur. Quamvis enim saepe Proserpinam vel Plutonem benigne heroi adnuentes et prope canem aut vinculis astrictum, aut nondum superatum stantes videamus, tamen nunquam ipsi Cerberum vinctum heroi tradunt.

Sed iam contemplemur, quemadmodum Hercules canem domitum atque alligatum ad lucem transportaverit. Quam laboris partem periculis haudquaquam caruisse consentaneum est. Poetarum autem vetustiorum reliquiae minores sunt, quam e quibus quicquam eliciatur. Atque iterum vasculorum picturis eius rei notitiam debemus, quae memoriam litterarum lacunosam supplentes perspicue indicant ascensum etiam iam antiquis temporibus copiose a poetis tractatum atque exornatum fuisse. Imagines enim, quae catenis vinctum canem ostendunt, illustrare solent haec:

a) Hercules tranquille canem superatum catena tenet, clavam plerumque iactans, aut tollens saltem, velut in 13. 14. 15. 20. 26. 33. 34. 39. 44 (?);
b) monstrum recusans secum trahere studet in 12. 17. 28. 42. 47—52;
c) tranquille canem ducit in 2. 9. 16. 18. 19. 21. 22. 24. 35. 37. 38. 45. 53.

Quibus ex picturis hoc imprimis constat non libenter Cerberum secutum esse, sed, quamvis vinculis oneratum, vehementer recusavisse, ne loca inferna relinqueret. Quod optime pictores vasculorum 12 et 42 oculis proposuerunt, ubi heros omni vi canem resistentem domo Plutonis extrahens conspicitur. Eandem igitur fabulae narrationem hic reperimus, quam postea Vergilius reddit versibus Aen. VI, 395/96:

Tartareum ille manu custodem in vincla petivit
ipsius a solio regis, traxitque trementem,

vel Quint. Smyr. Posthom. VI, 267 sqq:

ἦγε καρηβαρέοντα παρὰ Στυγὸς αἰπὰ ῥέεθρα
ἕλκων οὐκ ἐθέλοντα βίῃ πρὸς ἀήθεα χῶρον
θαρσαλέως.

Reliqua etiam vascula sub b) allata luculenter ostendunt, quanta contentione heros in itinere praedam suam aegre sequentem et aufugere conantem retineat.

Maxime vero Cerberum eo loco restitisse, quo e terra emergeret, solisque insueti radii oculos eius tangerent, ex cylice n. 47 cognoscitur, ubi dimidia modo et prior canis pars in pictura inest, altera cylicis margine desecatur ita, ut canem valde obstantem velut e spelunca quadam extrahi putes. Quae res certe non casu accidit, praesertim cum eandem fere compositionem in metopa templi Iovis Olympiaci, et Thesei quod dicitur Atheniensis tabulaque Borgiana[173]) videamus; sed artifices in hac quoque re memoriam antiquam secuti sunt, nobis quidem, ut alibi toties, non nisi a recentioribus scriptoribus traditam[174]).

Atque aliunde etiam concludere licet in ostio ipso Orci luctationem prope iteratam esse. Huc

---

[173]) depict. Millin, Gal. myth. tab. 117, fig. 453.

[174]) cf. Senec. Herc. fur. v. 813 sqq:

Postquam est ad oras Taenari ventum et nitor
percussit oculos lucis ignotae novus,
resumit animos victus, et vastas furens
quassat catenas; paene victorem abstulit
pronumque retro vexit et movit gradu.

Similiter Ov. Met. VII, 409 sqq.

enim spectant, quae de cicutae origine narrantur, quam ex Cerberi spuma tum, cum ab Hercule tractus lucem conspexit, ortam esse omnes scriptores consentiunt[175]). Ut exemplum afferam, Herodorus et Euphorio in schol. Apoll. Rhod. II, 354 tradunt: *ἐκείνῃ* (sc. *Ἡρακλείᾳ τῇ Ποντικῇ*) *φασὶ τὸν Κέρβερον ἀνῆχθαι ὑπὸ τοῦ Ἡρακλέους καὶ ἐμέσαι χολήν, ἐξ ἧς φυῆναι τὸ καλούμενον ἀκόνιτον φάρμακον.* Quod autem in ipso infernorum exitu[176]) canem venenum exspuisse inter omnes constat, ibi vehementissime eum recusavisse, ne porro graderetur, denuoque ab Hercule victore domitum esse efficitur. Cuius rei, cum scriptorum testimonia usque ad annum circiter 450 recedant[177]), quibus artis monumenta allata paulo etiam antiquiora sunt, hanc fabulae partem saeculi V. priore parte excultam esse necesse est, fortasse iam prius, quoniam Heraclea Pontica, qua cum urbe ascensus saepe conectitur, cr. 550 condita est[178]).

Denique de auxilio, quod heros a divinis patronis Minerva et Mercurio acceperit, paucis disserendum est. Nullum quidem eiusdem periculi exegit laborem; in nullo verum tantopere superorum praesidio adiutus est, quantopere in hoc. Quod minime videtur mirum, quoniam alias homines atque beluae, hic autem dei ipsi adeundi erant, quod sine divino subsidio vix perfici potuit. Iam Homerus Θ 367 Minervam Herculem ad inferos comitatam esse memorat, neque minus Mercurium tum sibi adfuisse heros λ 626 ipse affirmat.

175) Locos contulit O. Immisch RML. II, 1124.

176) Ascensus locus modo Taenarum, modo Troezen, Hermione, Heraclea Pontica aliaeque urbes traduntur; descendit heros plerumque Taenari, ap. Xenoph. Anab. 6, 2, 2 *παρὰ τῇ Ἀχερουσιάδι Χερρονήσῳ.* cf. Rhode, Psyche² I, 213.

177) Herodorus Socratis aequalis fuit; cf. FHG. II, 27.

178) Wilamowitz, Herakl.² I, p. 31.

Sed aliter divini comites hic se gerunt, ac plerumque solent. Tuentes quidem et protegentes saepissime heroi eos adesse supra dictum est; cum hoc autem facinore artius conectuntur eo, quod laboris ipsius participes ipsi una cum Hercule canem petunt atque abducunt. Etenim, quamquam praeter Homeri versus laudatos nusquam eorum praesidii mentio fit, — Apollodorus nisi obiter Mercurium non memorat —, tamen a poetis quoque posthomericis id valde celebratum fuisse e vasculis discimus, in quibus omnibus praeter 8. 14. 36. 40. 41. 53 aut Mercurium, aut Minervam, aut utrumque praesentes videmus. Atque etiam quomodo heroem adiuvissent, artifices illustrare studebant. Interdum tamen nihil omnino agentes eos pingebant. Sic plerumque congruentes cum Homeri versibus comitantes vel viam ad lucem monstrantes eos ostendunt, Mercurium in 2. 9. 16. 19. 24. 37. 45. 47—52, Minervam in 18. 20. 38, utrumque in 10. 17. 21. 22. 26. Sed hoc quoque e picturis colligitur, eis imprimis intercedentibus inferos herci morem gessisse. Nam de cane abducendo Mercurium in 34 cum Proserpina agentem videmus, et in 4, ubi proxime advenerunt ad Plutonis domum, Hercules statim canem sub porticu custodientem mulcens adit, at comes eius divinus intro contendit, ut veniam petat abducendi. In hydria autem n. 12 Mercurius Plutonis uxorem placare studet, cum heros canem e portis extrahat. Atque similiter Minerva bene meruisse videtur, quippe quam pictura 13. in sella sedentem prope Proserpinam assentientem exhibeat. Quin etiam opinionem valuisse necesse est, secundum quam Minerva canem non solum expetiverit, sed etiam adduxerit heroi, ut duae ostendunt picturae; quarum in altera (23) dea Cerberum ingentis magnitudinis neque-

dum vinctum in tergo eius manum ponens et dextra hastam tenens adigit heroi, ut vinciat eum, hic autem perterritus recedit; aeque fere in n. 29 res se habet[179]). Neque minus eo, quod canem placabant, superi clienti suo auxiliati sunt. Sic in 11 Mercurius eum, priusquam vinceretur, manu permulcet, similiter atque in 31; aut in itinere eodem modo monstrum palpare conatur in 19 et 26, quod Minerva efficit in 28. Quae res singulae divinorum auxilium in hoc ipso labore admodum eminens fuisse patefaciunt, neque omiserint poetae epici verbis praedicantibus id celebrare.

Restat, ut de hydriis n. 40 et 41 nonnulla addam, quarum quod alteram modo (40) inspicere potui valde doleo. Videmus ibi, ut Hercules canem tricipitem ad Eurystheum adducat, hic autem timore captus et dolio ingenti se condens ambas manus supplicans tollat. Haud dubie pictor fabulam apri Erymanthii imitatus est, quae sic tyrannum se abdidisse tradit, cum Hercules aprum umeris portans advenisset[180]): quod libero arbitrio opifex ad Cerberi fabulam transtulit; nam arte poetica eam rem excultam aut divulgatam fuisse nulla vestigia exstant.

Haec sunt, quae e vasculis de Herculis ad inferos itinere Cerberique raptu collegi. Non solum antiquissimis temporibus heroem longe aliter apud Ditem se gessisse ac postea, mysteriis initiatum, picturae patefecerunt, sed etiam Cerberi forma toties mutata, pugnae ratio variata, ascensus labores divinorumque singulare auxilium lucide perspici potuerunt. Optimus vero disputationis eventus erat, quod non semel et hic, et in prioribus capitibus nonnullae res ad notitiam nostram fabularum novae accesserunt, haud paucas ex magna mythographorum silva a carminibus epicis partim saeculi septimi profectas et sinceras per tempora servatas esse vascula ostenderunt. Quam ob rem ea ipsa artis monumenta ad poesim illorum temporum cognoscendam pristinasque fabularum formas restituendas plurimum valere iam omnes concessuros esse spero.

[179]) Huc lecythi quoque cuiusdam atri coloris picturam spectare censeo (Athenis n. 902), ubi Mercurium videmus, qui Cerberum vinctum catena tenet.

[180]) cf. Euphronii cylicem dep. Wien. Vorlegebl. V, 5; Furtwaengler-Reichhold, Gr. Vasenmalerei tab. 23.

Vita.

Natus sum Iosephus Albertus Boehm a. d. III. Non. Nov. anni MDCCCLXXXIV in oppido Borussiae orientalis, cui nomen est Frauenburg, patre Iosepho, matre Agnete e gente Zander, quam me puero de vita decessisse lugeo. Fidem confiteor catholicam. Litterarum elementis Frauenburgi imbutus a vere anni MDCCCXCVII gymnasium regium Brunsbergense per septem annos frequentavi, quod florebat tunc *Hermanni Gruchot*, *Martini Wetzel* †, *Frederici Preuss* auspiciis. Vere anni MCMIV maturitatis testimonium adeptus Monachium me contuli, ubi per unius semestris spatium studiis philologis, archaeologicis, germanicis operam navavi. Autumno eiusdem anni civibus huius academiae adscriptus per octo semestria eisdem studiis et imprimis archaeologicis me dedi.

Docuerunt me viri doctissimi

Crusius, *Furtwaengler* †, *Iv. de Mueller*, *Muncker*, *Paul*, *Poehlmann*, *Vollmer*, *Weymann*, Monacenses; *Baumgart*, *Heinze*, *Jeep*, *Kowalewski*, *Ludwich*, *Meissner*, *Meumann*, *Rossbach*, *Ruehl*, *Schade* †, *Schoene*, *Tolkiehn*, *Uhl*, *Walter* Regimontani.

Regii philologorum proseminarii sodalis fui per tria semestria, seminarii per quater sex menses. Praeterea ad exercitationes benigne me admiserunt, grammaticas *Heinze*, *Iv. de Mueller*, *Schoene*, *Tolkiehn*,

archaeologicas *Rossbach*, germanicas *Baumgart*, *Meissner*, *Schade*, *Uhl*, philosophas *Meumann*.

Denique societati philologorum Regimontanae a *Ludovico Deubner* et *Ricardo Wuensch* institutae per sex menses interfui.

Quibus viris doctissimis omnibus gratias ago plurimas, imprimis autem *Ottoni Rossbach*, qui semper me opera et consilio benevolentissime adiuvit.

5

COLUMBIA UNIVERSITY
0032210361

BRITTLE-DO N
PHOTOCOPY